

John Carter Brown.

BOUND BY F. BEDFORD

AMERICÆ

PARS VNDECIMA:

Seu

DESCRIPTIO ADMIRANDI ITINERIS A GUILLIELMO SCHOUTEN HOLLANDO PERACTI: QUA RATIONE IN MERIDIO-

nali plaga freti Magellanici novum hactenusque incognitum in mare Auſtrale tranſitum patefecerit: Quas item terras, inſulas, gentes, resque mirabiles in dicto Auſtrali Oceano obvias habuerit.

Omnia elegantibus mappis, atque iconibus in æs inciſis jam primùm illuſtrata,

Operâ & Sumptibus

JOHANN-THEODORI de BRY ARGENTINENSIS.



OPPENHEIMII

Typis HIERONYMI GALLERI.

ANNO M. DC. XIX.

PROOEMIUM.

CVM ſingulari privilegio, à nobiliſſimis ac potentiſſimis unitarum provinciarum Ordinibus generalibus, univerſo Indiæ Orientalis mercatorum collegio cautum eſſet, ne quis horum locorum mercator incoláve per Orientalem Capitis Bonæ ſpei oram, & fretum Magellanicum vela Indiam aliásve regiones verſus facere in animum induceret: quidam Mercatores, non ſolùm in genere reliquarum civitatum, ſed ſpeciatim plerorum que aliorum mercatorum negocia & commercia hoc edicto gravari exiſtimantes, de novo tranſitu, novisque rebus Meridiem verſus indagandis conſilia inierunt, ſi fortè an per alium quendam, quàm per fretum Magellanicum, meatum, in Auſtralem Oceanum pertingere, eâque viâ novas incognitas ac peregrinas regiones inveſtigare poſſent, ut hac ratione vel quæſtum aliquem facerent, vel nova quadam ſemita, quæ quidem neque hactenus reperta, neque Ordinum privilegio eſſet interdicta, in Indiam Orientalem pervenirent.

Res iſta primum agitari cœpta in civitate maritima Horna, per Iſaacum Marium, celebrem quondam mercatorem Ambſterdamenſem, tum verò temporis incolam Egmondanum, & Guilhelmum Cornelii Schouten civem Hornanum virum in re nautica probè verſatum & magni nominis, utpote qui jam tribus vicibus modò navarchi, modò naucleri aut mercatoris munere defungens, Indiam Orientalem adierat, omnesque ejus oras probè perluſtrarat. Hi re in utramque partem omnemque eventum probè apud ſe ponderata ac deliberata, eandem cum amicis quibuſdam communicandam cenſuerunt: ac primò quidem mentem ſuam expoſuerunt D. Johanni Clementis Kieſio civitatis Horannæ ſecretario, poſtmodum Petro Clementis Conſuli, ac Johanni Johannis Molenverſio dictæ civitatis Scabino, demum Cornelio Segertzio. Qui adprobata horum ſingulari prudentia, communibus ſuffragiis periculum ejus rei faciendum decreverunt, ac fœdere inito ſeſe Inſpectores fore polliciti ſunt, modò Guilhelmus Schouten tanquam navium Magiſter, ac præcipuus ductor unà navigare, ac conceptam animo viam, ſi qua eſſet, veſtigatum ire vellet. In hunc finem quisq; inter ſuos non contemnendam pecuniæ coëgit ſummam, quod eâ ad inſtruendam, quàm animo jam volvebant, claſſem maximè ſibi opus eſſe ducerent: ita tamen, ut neminem conſilii ſui participem facerent, ſed illud ſartum tectumque penes ſe inſpectores reſervarent.


Ad iſtud verò iter ineundum prædicti Inſpectores, eximias duas naves adornarunt atque inſtruxerunt, unam nempe grandiorem cum Celoce. Grandior illa navis 180. circiter onerum capax, dicta Concordia, Magiſtrum ac præcipuum totius itineris ducem habuit, Guilhelmum Cornelîum Schouten, & primarium mercatorem Jacobum Marium prædicti Iſaaci Marii filium. Hominibus hæc navis 65. tormentis æneis 19. lapideis 12. Mouſquettis aliisque inſtrumentis bellicis in omnem eventum, abundè fuit munita: additaque in ejus uſum cymba major velis, item minor remis tractabilis, adhæc ſcapha cum parvo quodam navigiolo. In ſumma nihil quoad anchoras, rudentes, vela aliasque res neceſſarias in ea deſiderari potuit. Celoci 55 circiter onerum capaci, quam Cornu dixerunt, præfectus erat


Johannes Cornelii Schouten, Guilhelmi Cornelii frater, mercator verò Arius Nicolai. Vehebat hæc homines viginti duos, tormenta ænea octo, lapidea quatuor, aliaque arma ad pugnam capeſſendam idonea, inſuper rebus neceſſariis ad iter tam longinquum conficiendum perquàm ſatis inſtructa.


Quamvis autem nulli mortalium, ut dictum eſt, animi ſui ſententiam aperirent, nihilominus tamen in ſuos uſus tam nautam, quàm reliquos officiarios facilè conſcripſerunt, ea conditione, ut, quocunque Magiſtro ac Mercatori navis primario viſum eſſet, ſeſe ituros, fide data pollicerentur. Hinc factum ut varii ac miri de iſta expeditione ac navibus rumores, apud vulgus emanarint, tandemque, qui nomina iſti itineri dediſſent, Auri quæſtores dicti ſint. Adminiſtratores verò ſupra dicti cœtum ſuum, Collegium Auſtrale indigitarunt. Naves hunc in modum exarmatæ ſolverunt Hornâ, 25. Maji, ac 27. ejuſdem menſis die in Texela feliciter appulerunt.

Quâ autem fortunâ hoc in itinere uſi ſint, id verè ac ſincerè, ex ſcriptis & ore eorum, qui & præſentes iſta videre ac experti ſunt, neque minimas iſtius itineris partes, ſive authoritatem ſive dignitatem ſpectes, obierunt, exceptum ſequenti narratione exponere volumus. Vale.

EPHE-


Moluccæ Inſulæ
Wilhelm Schoutens weg
Gilolo
Linea Æquinoctialis
NOVA GUINEA
Via Guilielmi Schouten
C. de Goede hoop
Willem Schouten Eylandt
I. Arimoa
I. Moa
Zeram inſ.
Amboina
Banda
Burro
Obi
Tidor
Makian
Bakian
Maba
Papoos
Hogen Eck
Cornelis Kniersz bay
Vulcanus oder Brănende bergh
Hoge bergh
Hogh landt
25 Eylanden
Nidrigh landt
Claes Petersz bay
Hogh landt
Di groene Eylandt
S. Ioans Eylandt
Eine Carte von Nova Guinea, neulich im ihar 1616. geſegelt vndt beſchrieben durch Wilhelm Schouten von Hoorn
Novæ Guineæ Tabula, noviſſimè luſtratæ et conſcriptæ à Wilhelmo Schouten Hornano batavo.
Deſcription de la coſte ſeptentrionale de Nova Guinea nouvellement decovert par Guillaume Schouten de Hoorn.


Linea Æquinoctialis.
Ternate
Molucæ
Wilhelm Schoutens Eylandt
I. Gilolo
Nova Guinea
Banda
Amboina
S. Ioan Eylant
Groene Eylanden
Wilhelm Schoutens Weg
Hoornſe Eylanden
Cocos Eylandt
Eylandt võ guderhofnung
Verräders Eylant
Tropicus Capricorni
Mappe von der Sudſee, zei=
get an was wegh Wilhelm
Schouten durch daſſelbe
geſegelt, vnd was land vnd
Inſelen ſo bei im gefundẽ ſein
Tabula Hydrographica Maris
Auſtralis vulgo del Zur,
ductum navigationis Wilhelmi
Schouten et terras ac inſulas
ab eo ibiden detectas demõſtrans


P.S.Ioan.
I.Galopeges
La Puna
C.Blanco
P.del Laguia
Truxillo
Ganape
Callo de Lima
Lima al Cidad de los Reyes
La Naſca
Arequipa
PERV
Arica
Mor Moreno
S.Philippe
Copiapo
La Servana
Eylande von Ian Fernando
La Conception
S.Maria
La Mocha
Arauco
Tucapel
Baldiuia
CHILI
I.Chiloe
Porto deſire
Navigationis Wilhelmi Schouten ductus
Fretum Magellanicum
Straſe von le Maire
Stats lande
C.Hoorn
Mauritius
Eylanden von Barnevelt
Honden Eylant
Eylant ſonder grondt
Trac ou chemin de Guillaume Schouten
Scala Latitudinis
230
240
250
260
270
280
290
300
5
10
15
20
25
30
35
40
45
50
55
60
la grande Mer
ſtrant par quel
ume Schouten
uelles iſles et ter=
deſcouvertes ẽ icelle

EPHEMERIS

Seu

DESCRIPTIO ITINERIS A GUILHELMO SCHOUTEN HOLLANDO, CIVE HORNANO TRIUM annorum 1615. 1616. 1617. ſpacio peracti.

Qua ratio e is globum terreſtrem circumeundo, verſus meridiem Freti Magellanici, novum in Auſtralem Oceanum tranſitum patefecerit.

DIE 14. Junii ſub veſperam Texelia ſolvimus.

15. Summo mane motis anchoris prope Duynas, quòd ventus eſſet contrarius, ſubſtitimus. An. 1 Juni

19. Circa meridiem inde diſceſſimus.

21. Euronotus tempeſtatem excitavit, quæ cùm in proximum quoq; diem deſæviret, nos portum inſulæ Wicht coegit ſubire.

25. Wichtâ ſolventes, 27. Pleymouthum pervenimus.

28. Sub diluculum inde migrantes, Japyge ſubſequente, vela fecimus.

Poſtera die Magiſter ac Commiſſarius Celocis ad navem noſtram advecti, conſtituerunt, ut ad 4. Menſis ſubſequentis diem annonæ æqualiter unicuíque dimetiendæ ratio iniretur.

Die 4. Julii, prout decretum fuerat, certa victus ratio inſtituta eſt; ac cuilibet in diem cantharus cerviſiæ unus, in ſeptimanam quatuor libræ panis, dimidia libra butyri, excepto liquefacto, in iter verò univerſum quinq; caſei aſſignati ſunt. Ju

8. Die, cum altitudinem ſeu elevationem poli 39. grad. 25. minut. reperiſſent, faber lignarius in Celoce expiravit, cùm vix biduum decubuiſſet.

9. & 10. Aquilone & Japyge aſpirantibus feliciter progreſſi, poſtridie inſulas Maderam & Sancti Portus in conſpectu habuimus.

12. Tempore matutino vidimus Sylveta quædam, quæ ad ſiniſtram duas circiter leucas reliquimus.

Poſtero mane obvias habuimus Teneriffam, magnamq; Canariam, quas inter ſub meridiem vento N. N. O. adjuti vela di ximus.

14. & 15. Eodem continuante vento, Tropicum Cancri trajecimus.

16. Sub diluculum Japyx magis ad Aquilonem inclinans, tanta vi fluctus marinos impulit, ut ſcaphę noſtræ jacturam faceremus: ſub meridiem verò poli altitudinem 20. grad. 30. minut animadvertimus.

17. & 18. Cœlo ſereno, ventoq; affluente Japyge Auſtro-Eurum verſus vela vertimus, ſub meridiem 19. nacti altitudinem 14. grad. minut. 45.

20. Die ſummo mane ad latus Septentrionale *Capo-verde*, ſeu promontorii viridis appulimus, fundum terræ ad 8. orgyias percontati. Hinc longiùs oram legendo, ſub ipſum diei momentum, Promontorium ipſum in Auſtrali Occidentis plaga à nobis diſſitum proſpeximus, quod quidem aſpirante Japyge ſuperare potuiſſemus, ſed ob ventorum, tonitruum ac fluviarum rabiem, quæ nocte ſubſequenti acriter in nos detonuit, anchoras ad 32. orgyias excutere coacti fuimus.

Poſtridie Vulturnus ſpirabat, nos verò velis motis verſus Septentrionalem Orientis plagam altum petiimus, ſed vix 6. leucas promovimus.

22. Hinc inde fluctuantes vela dimiſimus, quod magna in mari eſſet calamitas. Cabo viride verſus Occidentem à nobis erat diſſitum.

23. Mane quidem Auſter inſurrexit. Capo tamen trajicere haud potuimus, ſed ob maris malaciam anchoras projicere coacti ſumus: ſub meridiem exorto Euro, Capo prætervecti, ſub veſperam anchoras, in ſecundæ inſulæ ſtatione ordinaria fundo ſabuloſo ad 18. orgyias firmavimus.

24. Copioſas pluvias habuimus, ac de aqua dulci nobis proſpeximus.

25. Ad navem venit Alkajer, ſic Capitaneum ſeu Gubernatorem vocant, cui pro honorario octo vectes ferreos obtulimus, ut navigia noſtra dulci aqua complendi licentiam impetraremus.

Poſtridie cœlo pluvioſo & nebuloſo offendimus navigium quoddam ex mari adveniens, quod duabus à noſtra navi leucis anchoras ſuſtulerat. Erat autem Roterodamenſium, qui ut rem in iſto litore facerent, ibidem appulerant.

28. & 29. Interea dum ab aqua recenti nobis proſpicimus, celox noſtra velis verſus ſinum Refreſco, ſeu Recreationis directis diſceſſit, ut allatis aliquot limonibus nos recrearet. Hæc quidem in iſto ſinu navigium Roterodamenſe ab anchoris hærentem, at ſub veſperam ad nos reverſa, nihil iſtarum frugum ſeſe reperiſſe retulit.

Auguſti calendis à promontorio viridi unà cum navigio Roterodamenſi diſceſſimus, verùm illud ſub meridiem à nobis ſegregatum inſulas ſalis petiit. Nos ea die cœlo uſi ſereno, atq; Aquilone propitio verſus Auſtralem Orietis plagam curſum direximus.

2. Cœlo etiamnum amœno, vitulum hædumq; mactavimus, quos circa Capo verde nacti quidam ex noſtra navi bidui ſpacio ſaginaverant.

4. Sub meridiem nos altitudinem 12. grad. & 5. minut. attigiſſe deprehendimus.

7. 8. 9. Pluvias quidem continuas, ſed ventum à puppi habentes propitium curſum noſtrum feliciter promovimus.

10. Pluviæ vento exiguo permiſtæ, necdum deſierant: nos verò ſub noctis medium, horam circiter duodecimam cymbam quandam Hiſpanicam proſpeximus.

15. Vento benevolo, cœlo amœno & ſereno, alacriter pergentes, certas quaſdam aves, quas *Rabos Forcados* vocant, vidimus, unam *Dorato* cepimus.

Poſtera luce ſub meridiem altitudinem 7 grad. & 40. minut. attigimus: tempeſtate etiamnum commoda, ventoq; uſi ſecundo.

17. Sub meridiem poli elevationem 7. grad. 12. min. obſervavimus. Cœlum erat trãquil

quillum, vulturno temperatum. Hic *Bonitas* magno numero & dimidiam partem *Corettas* cepimus

18. 19. Eodem ſpirante Vulturno vela verſus Sierra Liona fecimus, ut homines noſtri à Scorbuto miſerè vexati aliquo modo recrearentur. Curſus enim ob venti contrarii intemperiem nobis continuò obliquandus fuerat: tempus autem ſerum ſatis ad lineam æquinoctialem celeriter tranſeundam nos avocabat: interim toto iſto viridi promontorio parum aut nihil recreationis obtinere potueramus. Iſte quoq; dies ſerenus nobis illuxit, ventumq; attulit propitium, ut ſub meridiem ad altitudinem grad. 7. minut. 55. pertingeremus.

20. Sub meridiem, deprehensâ poli altitudine grad. 7. minut. 25. cum cœlo amœno, adflante Auſtro vela verſus Orientalem Septentrionis plagam dirigeremus, ibidem magnam avium copiam, atq; aquæ alterationem obſervavimus. Sub veſperam conto projecto profunditatem 30. Orgyiarum exploravimus, ſolo ſabuloſo. Nos animadvertimus nos 40. leucas circiter terram noſtra opinione propiùs eſſe delatos: ſub noctem verò excuſſis ad 16. Orgyias anchoris nos in ora Orientali de Baixos de Sancta Anna verſari intelleximus.

21. Summo mane vela facientes vidimus prominentem regionem de Sierra Liona, Septentrionalem Orientem verſus ad ſex circiter leucas à nobis diſſitam. Vidimus etiam inſulas Mabrabombæ verſus auſtrum à prominenti regione Sierra Liona, verſus Septentrionem autem à Cabo de Baixos Sanctæ Annæ ſitas. Sierra Liona eſt regio præalta, neque enim inter Capo Verde & littora Guineæ elatior conſpicitur, ut facilè à reliquis diſcerni ac dignoſci poſſit.

Summa quidem ope hac die ad terram contendimus, verùm fluctus experti adverſos, è longinquo littus radendo, ad 10. 9. 8. 7. & 5. Orgyias Brevia S. Annæ prætervecti ſumus.

Sub veſperam, mari pleno, fundo lubrico ad quatuor Orgyias cum dimidia; noctu verò recedente fluxu ad tres anchoras cum dimidia anchoras projecimus.

Poſtera die ſub ipſum diluculum Magiſter Navis Guilielmus Schouten, celocem ingreſſus eſt, ut gradiorem navem anteverteret, nos verò ipſum eâdem ſubſequeremur. Relictis ergo ad 18. Orgyias dictis Brevibus, ad Inſulas Mabrabombæ appropinquavimus. Hæ tres numero, altæ ſatis, ſub eodem tractu in Auſtralem Orientis, & Septentrionalem Occidentis plagam ad dimidium leucæ ab Auſtrali promontorio de Sierra Liona diſſident. Nos ad unius leucę à littore intervallum madefactis anchoris, in terram egreſſi eam deſertam, atque inhabitatam offendimus, ubi præter immanium ferarum veſtigia, humiles quaſdam paludes, ac præruptos montes nihil erat cernere.

23. Die ſummo mane Commiſſarius noſter Jacobus Marius duabus ſcaphis ad littus navigans, fluvium ibi reperit, cujus oſtium rupibus uſque adeò erat obſtructum, ut quamvis commodè ob aquæ profunditatem, & abundantiam illac tranſire potuiſſet, aditu nihilominùs prohiberetur. Homines illic invenit nullos, ſed boves ſylveſtres, ſimias, volucres canum inſtar latrantes.

Cùm ad tres leucas pleno mari proceſſiſſet, palmitam quandam ſylveſtrem invenit. Sub veſperam autem ad navim reverſus, nullos attulit fructus, ex quibus recreatio aliqua captari potuiſſet.

24. Quidam ex noſtris varios ingreſſi rivulos, terræ ſe commiſerunt, ſi forte an homines,

mines,aut fructus aliquos viribus reficiendis idoneos offenderent: cumq; terreſtri itinere ad 5. Leucas perrexiſſent, 25. die ad nos redierunt. Quidam ſecuti rivulum aquæ ſalſæ, 5. aut 6. palmitas ſylveſtres afferebant. Alii intrantes rivulum aquæ dulcis, ad vallem quandam delati fuerant.

In hac conſpicati 8. vel 9. Limonum arbores, magnum vas 750. circiter limonibus completum unà ſecum ad naves reportabant. Teſtudines quoque ac Crocodilos ibidem conſpexerant. Itaque communi conſilio decretum, darent operam, ſi fortè an duabus ſuis navibus rivum iſtum aquæ dulcis ſubintrare, atque ita de aqua recenti ac limonibus abundè ſibi proſpicere poſſent. Fecimus ergo vela, ſed quia mare jam defluxerat, anchoras ad 6. Orgyias firmavimus, Celox autem ſub ipſum rivuli oſtium anchoras demiſit. Mare autem propter brevia ſeu Baixos de S. Anna erat tranquillum.

27. Summo mane ſublatis anchoris, quàm proximè ad Celocem noſtram applicuimus. Sub meridiem ſcapha ad nos rediit 1400. limonibus probè onuſta, quos in Inſula iſta noſtri homines hinc inde collegerant, quamvis hominum vidiſſent neminem. Sub veſperam anchoras quàm proximè Celocem noſtram ad tres Orgyias cum dimidia excuſſimus.

Poſtridie naucſerus noſter duabus ſcaphis altiùs in rivo provectus, ſub veſperam rediit. Neque enim agros, neque hominum ulla veſtigia, ſed bubalum tantùm unum cum vitulo, ac præterea paludes, atque arbores quaſdam aquæ ſalſæ adnatas conſpexerat.

29. Cùm necdum nos fluvium Sierræ Lionæ ingreſſos eſſe comperiſſemus, placuit inde diſcedere, ac curſum verſus Septentrionem prominentis regionis dirigere. Sub meridiem ergo prætervecti Mabrobombæ inſulas verſus Orientem ſitas, verſus Septentrionem prominentis regionis ad 12. & 15. orgyias contendimus, eiusq; Promontorio ſuperato ad 15. Orgyias anchoras depreſſimus.

30. Manè levatis anchoris, affluxu maris ventoq; Auſtrali feliciter propulſi, prope vicum quendam ſub ordinaria ſtatione in Sierra Liona, ad 8. orgyias fundo ſabuloſo, circiter ſclopi majoris jactum à dicto rivulo anchoras fiximus: hîc octo aut novem domicilia paleis tecta deprehendimus. Nigri quàm primum nos ſua lingua compellabant, ut quoniam ipſi Canois deſtituti eſſent, miſſis ſcaphis ad naves ſeſe advehendos curaremus. Miſſa itaque ſcapha, cum quinque Nigris inter quos unus Interpres erat, ad nos rediit: Hic obſides dari petiit, quòd paulò ante navis quàm celerrimè duos Nigros ſecum abduxiſſet. Datus obſes navis Commiſſarius, qui inſtructus corallis quibuſdam ea 700. ſubcrudis limonibus, & duobus Bananarum faſcibus permutavit. Interpres iſte varias callebat linguas, nos interim de aqua dulci, quæ ex montibus promanabat, nobis proſpeximus.

31. Manè quidam ex noſtris in terram exſcendentes, corallia quædam & cultros Norimbergenſes 25000. Limonum commutarunt.

Eadem die vaſa aliquot recenti aquâ complevimus.

September. Septembris 1. die poſt meridiem ſublatis anchoris æſtu maris provehebamur, tempeſtatem commodam, & ventum nacti ſatis propitium. Sub veſperam in ipſo maris oſtio propè rivulum quendam anchoras firmavimus.

3. Pomeridie celox noſtra inde diſceſſit, Magiſter verò navis piſcatum ivit: Sub veſperam reverſus piſcium ingentem copiam attulit, qui quidem ſcalpri ſutorii ſpeciem referebant: quidam etiam ex noſtris 150. Limones ſublegerant.

4. Fe-

4. Feliciter extractis anchoris ex Sierra Liona exiguo adjuti vento diſceſſimus: Sub veſperam autem, quòd ventus inſurgeret contrarius ad quatuordecim orgyias anchoras projecimus.

5. Primâ noctis vigiliâ iterum velificationem aggreſſi, ob malaciam tertiâ vigiliâ anchoras fundo ſabuloſo impegimus.

6. Manè vela quidem fecimus, ſed vento obnitente adverſo anchoras itidem fundo ſabuloſo ad 21. orgyias impreſſimus. Etiamnum in conſpectu nobis Sierræ Lionæ regio verſabatur: magnam verò eo in loco marini æſtus violentiam deprehendebamus.

9. Denuò factis velis, vento modico, cùm ſub horam veſpertinam ſextam contrariùs ventus mari incumberet, ad triginta tres orgyias fundo ſabuloſo anchoras demerſimus.

10. Manè Vulturno vela dedimus, ſed circa Meridiem ob maris malaciam, non quidem demiſſis velis anchoras projecimus. Mox ubi ventus vela paululum inflare viſus eſt, eas quidem extulimus, verùm quòd mare eſſet, tranquillum, anchoras iterum ad 26. orgyias excutere coacti ſumus. Sub ultimam vigiliam aſpirante nonnihil aurâ anchoras movimus, ſed parum promovimus.

Poſtridie iterum vela facturis, ob maris malaciam quieſcendum fuit. Æſtus maris tum Septentrionem verſus volvebatur. Nos eum continuo in ſecuti ſumus, quòd aura tenuis inflaret vela: verum illa mox in tranquillitatem expiravit, aërq; nubilis obductus fuit.

12. Deprehendimus nos ad 9. grad. 20. minut. altitudinem perveniſſe. Sub veſperam anchoras ad 17. orgyias depreſſimus.

13. & 14. Summa erat malacia, cœlumq; denſis nebulis obſcurum.

15. Manè cùm inter denſas pluvias vento Japyge proveheremur, ob horridam grandinum tempeſtatem Celox è conſpectu noſtro diſparuit. Itaq; unius horæ intervallo bis repetito tormenti majoris bombo ſignum illi dedimus: quæ circa horam decimam iterum ad nos rediit.

16. Vento uſi vario anchoras ad 25. orgyias firmavimus. Tota iſta die, totaq; nocte pluviæ erant continuæ, ventusq; vehemens in proximum uſq; diem deſæviebat.

18. Cum ſub Meridiem ad navigandum nos accingeremus, Celox rudentem atque anchoram ſuam perdidit.

Poſtridiè, cum itidem ventus inſurgeret contrarius, nos verò ex perpeſſa tempeſtate ac continuis pluviis probè defeſſi ac enervati eſſemus, viſum omnibus, Sierram Lionam verſus corporum curandarum ergo remeandum eſſe: verùm cùm circa Meridiem Japyx aſpiraret, Auſtrum verſus curſum direxerunt, cœptum iter continuaturi.

20. Ventus à puppi etiamnum ſpirabat; nos Auſtrum petentes circa Meridiem altitudinem 8. grad. & 30. minut obſervavimus.

21. Et ad menſis hujus finem varios experti ſumus ventos, modò malaciæ, modò denſis pluviis obnoxii, triginta ſub Meridiem ſub altitudinis gradu quinto verſabamur.

Die 5. Octobris elevationem poli 4. grad. 27. min. deprehendimus. Sub Meridiem ingens in anteriori navis parte exaudiebatur fragor, ita ut Magiſter navis in poſteriori ambulacro conſtitutus, nautarum quendam ex prora in mare prolapſum autumaret: Cum verò ex latere navis proſpiceret, mare ſanguineum aparuit, ac ſi ſanguis ma- OCTOB.

B gnâ

gnâ copia profuſus eſſet: Quid verò iſtud portenderet, conjectura aſſequi non poterat. Poſtea tamen cognitum, immanem quandam beluam marinam tanta violentia cornu ſuum adverſus navim noſtram impegiſſe. Ad fluvium enim portus deſiderii delati cùm naves ex aquis ſubductas expurgare ac oblinere vellemus, invenimus in prora navis, ſeptem circiter pedes ſub aqua, cornu quoddam, formâ ac mole extremis Elephantorum dentibus non abſimile, unum pedem longum, magno impetu ac robore confractum, quod navem totam penitus confoderat, ac tres craſſos aſſeres probè munitos penetraverat: Ut proinde, vel ignari in extremo navis vitæq; diſcrimine verſati fuerimus.

10. Piſcium abundè ſatis cepimus, ſub meridiem pervenimus ad altitudinem 3.g.30. min. Diebus proximè inſequentibus, Auſtro, eoq; ſatis vario uſi ſumus.

15. Attigimus elevationem 2. grad. & 35. minut. eodemq; die quadraginta Bonitas cepimus.

Poſtera die altitudinem unius gradus 45. minut. aſſecuti complures piſces prehendimus, ac quia mare tranquillum erat, ingentem Balænarum numerum conſpeximus.

19. & 20. Lineam æquinoctialem ſuperavimus.

Ventus S.O. & S.S.O. continuavit usq; ad diem 24. poſtea cùm flare cœpit, O.S.O. Auſtrum verſus navigavimus, ſed horrida tempeſtas unum ex velis noſtris diſturbavit. Sub Meridiem jam ad 3. altitudinis grad. 43 minut. Auſtrum verſus à linea diſceſſeramus.

25. Eodem vento iter noſtrum proſecuti ſumus. Nondum cuiquam noſtrum de navigationis iſtius ſcopo conſtiterat, ſi excipias Navarchum Guilhelmum Schouten, & Commiſſarium Jacobum Marium: tùm verò, quæ itineris ſuſcepti ratio ac meta foret, omnibus & ſingulis fuit indicatum: Darent nimirum operam, atque alium, præter Fretum Magellanicum in Oceanum Auſtralem indagarent tranſitum : Sicq; novas terras atque inſulas verſus Auſtrum ſitas veſtigatum irent, in quibus ex quorundam opinione, immenſæ divitiæ reperirentur: aut ſi hoc minùs ex voto ſuccederet, per Auſtralem Oceanum in Indias Orientales retrò navigarent. Lætati hoc edicto omnes, quòd jam quiſque quo deduceretur, intelligeret, neque exiguum lucrum ex tam fauſta expeditione ad ſe redundaturum ſperaret.

26. Sub meridiem nacti ſumus altitudinem 6.g.25 m. Tempeſtas erat ſerena, ventiq; favebant. Proximè inſequentibus Octobris diebus Eurus ac Japyx iter noſtrum Auſtrum verſus promovit. Ultimo hujus menſis die altitudinem 10. grad. 30. min. dimenſi ſumus.

NOVEMBER. 1. Novemb. ſub ſole verſabamur, quem circa Meridiem in plaga Septentrionali contuebamur.

3. Sub Elevatione grad. 19. & 20. min. conſpeximus certas quaſdam aves nigri coloris, ut & duas tréſve prægrandes gavias.

Pomeridie prodiit in conſpectum noſtrum una ex Martini Vaeſii inſulis, Aſcenſionis nomine inſignita, verſus Auſtralem Orientis plagam à nobis diſſita, ſub altitudine 20. grad. Ventos hic Boream & N.N. O. experti, ut & antea, Auſtrum verſus proram vertimus. Hoc die unicuiq; duplex vini portio obtigit, quòd loca periculoſa, Abralhos dicta, feliciter ſuperaſſemus.

Inſequentibus diebus ad 10. uſque, verſus Auſtrum & Meridionalem Orientis plagam navigando, ad altitudinem viginti quinque graduum, & triginta trium minutarum pervenimus.

12. Vulturnus & Eurus noſtra vela verſus Meridionalem Orientis plagam propulit ac ſub Meridiem tenuimus altitudinem 26. grad 45. minut.

13 14. & 15. Aſpirante Subſolano Auſtrum verſus, & Meridionalem Orientis plagam navigavimus.

16. 17. & 18. Flante Noto, curſum verſus O. S. O. direximus: ſub Meridiem poli altitudinem 34. grad 15. min. aſſecuti ſumus, & fluitantem ambram, ſeu Balęnarum ſemen magnâ copiâ vidimus.

19. Inſurgente Borea & Japyge verſus S. S. O. curſum convertimus.

Poſtridie ſub altitudine grad. 36. 57. minut. vidimus ingentem pediculorum marinorum copiam, ut mare totum iis quodammodo refertum appareret; erant autem ejuſdem cum minoribus culicibus magnitudinis.

21. Aſſecuti altitudinem 38. grad. 27. minut. comperimus aquæ alterationem, contoq; ejecto fundum non reperimus: ſub veſperam autem Lunam renovatam 21. horarum ſpacio vidimus.

22. Statutum in concilio, ut unicuiq; in diem quadrans Pintæ vini Hiſpanici, ac tantumdem olei in ſeptimanam aſſignaretur, quòd vinum Francicum, ut & butyrum jam abſumptum eſſet.

23. Vidimus ingentem balęnarum numerum, aquam admodum pallidam. Circa Meridiem verſabamur ſub altitudine grad 40 min. 56.

24. Conſpeximus adhuc aliud quoddam beluarum marinarum genus, aves complures, herbas virides mari innatantes. Mare autem crebris Euri flatibus intumuerat.

30. Aqua itidem palleſcebat, ac ſi terræ jamjam appropinquaremus. Eramus autem ſub altitudine grad. 46. min. 15. ubi avium quoq; ingentem copiam conſpeximus.

2. Decembris die ſub altitudine grad. 47. minut. 45. herbam marinam magnâ copiâ fluitantem vidimus. *DECEMBER.*

4. Etiamnum viredo aquis innatabat palleſcentibus, ac volucres magno numero cernebantur: Nos vero circa meridiem altitudinem 47. grad. 25. min. dimetientes, ſub veſperam fundum ſabuloſum ad 75. orgyias tetigimus.

Poſtridie contũ ad 65. orgyias projecimus, nec dum avium numerus aut viredo quicquam remiſerat. Sub Meridiem obtinuimus altitudinem 46. g. 25. m. ſub veſperam fundum 45. orgyiarum nacti magnam balænarum copiam conſpeximus.

6. Sub diluculum fundum 46 orgyiarum exploravimus, ac flante Japyge verſus O. S. O. navigavimus. Circa Meridiem altitudo poli erat 47. g. 30. m. à Meridie fundum 42. orgyiarum reperimus, ac poſt 4. circiter horas terram vidimus. Sub veſperam anchoras ad 10. orgyias excuſſimus, ferè ſeſquileucam à littore, ibi tantum reflexum maris, quantus ante Fliſſingam cernitur, animadvertimus.

7. Manè levatis anchoris Auſtrum verſus vela dedimus, circa Meridiem ante portũ deſiderii, ſub altitudine 47. g. 40. m. ſitum appulimus Meatum ejus intrare quidem conati ſumus, ſed cùm æſtus maris in tantum efferbuiſſet, ut rupes illæ (quarum Oliverius du Nord mentionem facit) in Septentrionali portus latere aquis planè obtegerentur, rectà à dicto meatu verſus Auſtrum ad ſinum ex adverſo poſitum, in receptum quendam contendimus. Hîc alto mari anchoras ad 4. orgyias cum dimidia firmavimus: mari verò labente, vix quatuordecim pedes aqua prominebat; adeò ut Concordiæ navis puppis fundo ſcopuloſo jam inſideret. Cõmodum autẽ ab Oriente regionis flabat ventus, ac mare erat tranquillum; nam ſi vel paululum ab Occidente ſpiraſſet, procul dubio navis

noſtra ſcopulis illiſa periiſſet. In rupibus magnum ovorum numerum invenimus, piſcati etiam ſumus optimos muſculos, aliosq; piſces, *Eſperlans* dictos, ſedecim pollices longos, quam ob cauſam etiam hunc receptum, Sinum Eſperlans nominavimus. Scapha noſtra ad Pinguinarum inſulas, verſus O. S. O. duabus Leucis à portu deſiderii diſſitas conceſſerat: hæc ſub veſperam ad nos rediit onuſta duobus marinis leonibus, ac 150. pinguinis, quas poſtridie bono cum appetitu comedimus.

Poſtridie ſub diluculum ex ſinu Eſperlans egreſſi, anchoras ſub ipſum introitum portus deſiderii defiximus. Miſſa itaq; cymba, quæ oſtii fundum percontaretur, hæc retulit, fundum ſe 12. & 13. orgyiarum deprehendiſſe. A meridie mari æſtuante, ac ſpirante vento O. N. O. navis noſtra major cum Celoce fluvium ſubierunt. Cum in fluvio ad ſeſquileucam proveheremur, ob ventos mutatos ad 20. orgyias fundo petroſo anchoras impegimus. Vix horæ medium interceſſerat, cum tanto impetu increpuit Japix, ut quamvis ſingulæ naves duabus anchoris eſſent alligatæ, nihilominus verſus auſtrale littus propellerentur: imo ne 25. quidem anchoræ navibus ſiſtendis fuiſſent ſatis, ut proinde in manifeſto navium perdendarum metu hæreremus. Nos ſub veſperam ab hoc littore in altum enixi ſumus: noctu verò Celox quoque noſtra quàm proximè ad nos acceſſit.

9. Manè ſublatis velis ulterius in fluvio pergentes ad Regum inſulam. Sic ab Oliverio appellatam, applicuimus.

Navis verò noſtra, cui Concordiæ nomen, ob ventorum adverſorum violentiam, dictæ inſulæ portum ſubire non potuit. Noſtri homines excenſione in terram factâ, eam totam Gavearum nigrarum ovis coopertam viderunt. Ova hæc quoad colorem Kivitarum ovis non ſunt abſimilia, niſi quòd magnitudine ea nonnihil excedant. Horum milliones aliquot ad naves retulerunt, quæ etiam palato non ingratum præbere edulium reipſa experti ſunt.

10. Noſtri homines verſus Septentrionem iſtius fluvii, aquam dulcem veſtigatum prodierunt: verùm licet foſſas ad 14. pedum profunditatem ducerent, tam in præaltis montibus, quàm imis vallibus, nil niſi ſalſam aquam reperiebant. Sub veſperam, igitur ad naves regreſſi, magnam avium ovorumq; ſecum attulêre copiam.

Poſtridie noſtri homines iterùm in terram egreſſi, ad auſtrale fluvii latus ſe contulerunt, ſi forte an recentem aquam aut homines indagare poſſent: ſed nihil præter marinam repererunt.

Viderant quoſdam Struthiocamelos, & feras cervis non abſimiles, collo oblongo, admodum, timidas. In montium cacuminibus ſepulchra ſeu monumenta quædam ex lapidum cumulis extructa repererant: ut verò rem exactiùs cognoſcerent, ea demoliti, oſſium humanorum reliquias, 10. & 11. pedes longas invenerunt. Incolę enim defunctos ſuos non in ſcrobes defodiunt, ſed in altiſſimis montibus ſolo impoſitos lapidibus tantùm obtegunt, ut hac ratione feras volucresq; ab eorum eſu prohibeant.

12. 13. 14. 15. & 16. Iterum aquas quæſitum pergentes, eas quidem non invenenerunt, ſed indies magnam avium piſciumq; copiam reportarunt.

17. Navem noſtram in Regum inſulam Mari æſtuante introduximus, & ad ripam quendam attraximus, ut eò commodiùs expurgari poſſet. Defluo enim mari ſicco pede circuiri poterat.

18. Cùm mare iterum efferveſceret, Celocem quoq; in dictam ripam extulimus, ad binos ſclopi majoris ictus à grandiori, ut ibi quoq; emendaretur.

19. Omnem operam expurgandis navibus impendimus. Cùm verò Celocem ſubtus inflammare vellent, flamma ſubitò atq; ex improviſo alta petens funes corripuit, tantaq; unico momento incrementa ſumpſit, ut nulla ratione reſtingui poſſet, quippe Celox ripæ inſederat, pluſquàm 50. pedum intervallo ab aqua fluminis remota, ut illam quidem ardere, penitusq; conflagrare maximo cum mœrore conſpicaremur, ignem autem reſtinguere nullo modo valeremus.

20. Pleno jam mari navem noſtram grandiorem, cui Concordiæ nomen, à ripa in aquæ profundum detruſimus: poſtea ad Celocem nos contulimus, ignis reliquias extincturi. Verum illa etiamnum ardebat, exuſta atq; abſumpta eò usq;, quò aqua pertingebat. Diebus inſequentibus expoſuimus, quicquid in ea fuit ſuperſtes, & collectas ferramentorum reliquias, unà cum univerſo apparatu bellico in grandiorem Concordiæ navem importavimus.

25. Noſtri homines foſſas ſeu ſtagna quædam aquæ recẽtis repererunt, quæ tamen albicans ac ſpiſſa ſatis erat: de hac aqua nihilominus quotidie nobis proſpiciebamus. Quidam aquam vaſculis hauſtam humeris adportabant: quidam mouſquettis inſtructi ad illorum defenſionem unà ibant: alii identidem volucres, ova, ac leunculos marinos inquiſitum commeabant, quibus ſingulari cum voluptate veſcebamur. Leones marini mole corporis equuleos referunt, capita leonina, jubas oblongas habent: fœmellæ depolitæ abſq; capillis, & vix dimidiam partem ad magnitudinem Maſculorum accedunt. Globo Mouſquettæ in ventrem, aut cerebrum directo eos interficias neceſſe eſt. Quamvis enim longurio ligneo aut ferreo vel centum plagas iis impingeremus, ut largus è naribus atq; ore manaret cruor: ſemper tamen celeritate ſua è manibus noſtris in aquas ſeſe proripiebant. Quamdiu ad amnem hunc ſubſtitimus ſæpiùs pluviarum injuriis, ac ventorum tempeſtatibus obnoxii fuimus.

9. Januarii die poſtremum nobis de aqua proſpeximus.

10. Vela ad iter cœptum promovendum ſuſtulimus, verùm, cùm circa meridiem de mari inſurgeret ventus, coacti ſumus poſt Leonum inſulas anchoras noſtras demergere. Cepimus eo die magnam piſcium aviumq; copiam.

12. Cymba noſtra Pinguinarum inſulis appropinquavit, Pinguinas captura: ſed tempeſtate impedita, ea die ad navim redire haud potuit, ſed nocte tota in Inſula d' Eſperlans permanſit: manè quidem ad nos rediit, Pinguinis onuſta: verùm illæ, cùm præ nimia copia attritæ eſſent, in aquas abjectæ fuerunt.

13. A meridie ex Portu deſiderii ſolvimus, cùm verò mare eſſet tranquillum, in exitu fluminis anchoras jecimus: ut iterum exortus eſt ventus, ſtatim extractis anchoris, illi vela dedimus.

18. Manè vidimus Sebaldi inſulas à nobis verſus Auſtralem Orientis plagam ad leucas tres diſſitas, quæ à freto in longitudinem porriguntur, pro ut refert Sebaldus de Weert, O.N.O. & O.S.O. circiter 50. leucas. Nos circa meridiem verſati ſumus ſub altitudinis grad. 51.

20. Magnam herbæ marinæ copiam, vt & fluxus marini verſus Auſtralem Occidentem violentiam conſpeximus. Circa meridiem pervenimus ad gradum altitudinis 53. Exiſtimavimus autem nos 20. circiter leucas à Continente, ac Auſtrum verſus à Freto Magellanico abeſſe. Poſtridie circa meridiem verſabamur ſub altitudinis gradu 53.

23. Manè Auſtro uſi ſumus, ſed is circa meridiem totus ferè expiravit, à meridie

in Eurum mutatus eſt. Contati, fundum nigro ſabulo, lapilliſq; exiguis obſitum 50. orgyiarum deprehendimus. Deinde afflante boreâ, cùm mare tranquillum, cœlum ſerenum, aqua eſſet pallida, ut quæ circa continentem cernitur, nos curſum verſus S. S. O. direximus. Tres circiter horas à meridie terra verſus Orientem, & poſt etiam verſus meridiem in conſpectum noſtrum prodiit. Sub veſperam eodem ſpirante borea verſus W. S. W navigavimus, ut extremum continentis terminum aſſequeremur. Ventus inſurgebat vehemens, ac mare tam horribiliter intumuerat, ut unicum quidem de carcheſio velum demittere liceret.

24. Sub ipſum diluculum terram ad dextrum navis latus deteximus, cumq; vix unam eamq; magnam leucam ab ea abeſſemus, Euro flante, fundum 40. orgyiarum deprehendimus. Regio hæc ab Oriente in meridiem porrigitur, tribus altiſſimis montibus, qui tamen nivibus planè cooperti ſunt, conſpicua. Nos littus ejus longiùs perſtringendo, circa meridiem ad extremum ejus terminum pervenimus. Verſus Occidentem, aliam adhuc regionem, montibus itidem editiſſimis inſignem conſpicati ſumus, quæ noſtra quidem opinione ab altera illa 8. circiter leucas diſtabat: & quantum oculis conjecturari licebat, non incommodum inter duas iſtas regiones tranſitum fore, nobis perſuadebamus: Nam, quod in ſententia noſtra nos magis confirmabat, æſtus marinus concitato curſu meridiem verſus inter haſce duas regiones devolvebatur.

Sub meridiem reperimus altitudinem poli quinquaginta quatuor graduum & 46. minutarum. A meridie Aquilone provecti curſum noſtrum dictam planitiem verſus direximus: verùm ſub veſperam oborta tranquillitas in mari tanta, ut leni vento, ſed vehementi æſtu meridiem verſus protruderemur. Vidimus autem in hoc tractu infinitum Pinguinarum numerum, tantamq; Balænarum copiam, ut continuò abſq; ulla intermiſſione navis modò in hanc, modò in illam partem inclinanda nobis fuerit, quo illas evitaremus, neque cum manifeſto noſtro exitio: in immania iſta monſtra impingeremus.

25. Summo mane ad dictam planitiem pervenimus, & ad oram Orientalem appropinquavimus, quæ præaltis præruptisq; montibus edita, à Septentrione verſus O. S. O. porrigebatur. Hanc ab illuſtribus Belgii ordinibus, Statuum regionem appellavimus. Regioni autem, quæ ad alterum latus verſus Occidentem prominebat, Mauritii Naſſovii nomen dedimus. Ex conjecturis facilè fuit colligere, commodiſſimas pro navibus firmandis & ſervandis ab utroq; tranſitus latere reperiri ſtationes, quòd utrinque ripæ, imo flumen ipſum, quò altiùs aſcenditur, fundum habeat ſabuloſum. Piſces, Pinguinæ, Leones caneſq; marini illic magno reperiuntur numero, quemadmodum etiam magna volucrium copia, & cum tota regio, in primis verò montes nivibus operti ſint, veriſimile eſt, nullam ibi aquæ recentis fore penuriam, licet arbores nullas viderimus. Quamdiu in hac planitie ſeu tranſitu fuimus, feliciter adjuti Aquilonibus verſus S. S. W. iter noſtrum promovimus: ſub meridiem altitudinem 55. grad. 36. minutarum emenſi, commodè progreſſi ſumus. Latus meridionale regionis, quàm de Mauritio Naſſovio nuncupavimus, quàm longiſſimè porrigitur, ut diu eam verſus W. S. W. uſurpare potuerimus: terra enim ſatis eſt elevata variiſq; montibus diſtincta. Sub veſperam ventus mutatus à Meridionali Occidentis plaga ſpirare cœpit: nos proram Meridiem verſus dirigentes, undas ingentes & tumidas ab Auſtrali Occidentis plaga obvias habuimus. Aqua erat cærulei coloris. Hinc collegimus ad dextram ejuſdem plagæ immenſum ac profundum reperiri mare, quod Oceanum Auſtralem eſſe certò jam eramus

mus

mus perſuaſi, nosq; primos tranſitum iſtum detexiſſe, qui hactenus tectus atq; incognitus fuerit, quemadmodum paulò poſt reipſa experti ſumus: quamobrem ſingulari omnes perfundebamur gaudio. Vidimus in hac regione complures easq; admirandæ magnitudinis aves, quoad formam gaveis marinis, quoad molem Cygnis noſtratibus non abſimiles. Uniuscujusq; enim ala extenſa longitudine orgyiam excedebat. Hæ aves, quòd homines hactenus vidiſſent nullos, absq; ullo pavore ac metu in naves noſtras ſeſe demittebant, ut à nautis vel manibus ſe palpari, vel etiam bacillo trucidari paterentur.

26. Circa Meridiem deprehendimus altitudinem 57. grad. Non parum autem tòtum iſtum diem ac noctem inſequentem à Zephyro Africoq; vexati fuimus, quorum violentia mare cœrulei coloris usque adeò intumuerat, ut unico eoq; exiguo tantum velo iter Meridiem verſus aggredi cogeremur. Interim verſus Septentrionalem Occidentis oram terram deteximus, quo etiam converſa prorâ de nocte unico tantum eoq; ob ventorum vehementiam ſuccincto inſtructi velo contendimus.

27. Altitudinem 56 grad: 51. minut. aſſecuti, Cœlo frigido, ingruente Zephyro atque Africo, crebras procellas ac tempeſtates marinas grandinibus ac pluviis permiſtas experti ſumus. Nos contractis velis primùm Meridiem, mox Septentrionem verſus navigavimus.

28. Summo mane de Carcheſio vela ſuſtulimus, undas offendimus de mari turgidas ac tumidas, ventum primò Zephyrum, mox Japygem, itaque primo Meridiem verſus, mox W. S. W. vela fecimus. Sub Meridiem, ſub altitudine 56. grad. 48. minut. verſabamur.

29. Sub diluculum ſpirante Euronoto verſus Meridionalem Occidentis plagam contendimus. Poſt ſumptum jentaculum adhuc duas alias inſulas ante nos proſpeximus, ad quas circa Meridiem applicuimus: ob ventorum violentiam verſus Meridiem nobis aditus haud patuit, ſed verſus Septentrionem declinandum fuit. Inſulæ erant ſteriles, leucoplæatis lapillis, variisq; montibus circum circa obſitæ, jacent ſub gradu altitudinis 57. Meridiem verſus à linea Æquinoctiali: nos illas Inſulas Barnefeldi in honorem nobiliſſimi Johannis Alten Barnefeldi Hollandiæ & Weſtfriſiæ Advocati: appellavimus. Pergentes ulteriùs verſus W. N. W. ſub veſperam aliam adhuc terram verſus N. W. & N. N. W. deteximus, quæ à Freto Magellanico Meridiem verſus porrecta, præaltisq; montibus nive coopertis referta, in acutum quoddam promontorium ſub altitudine Meridionali 57. grad. 48. min. deſinebat, quam appellavimus Capo de Hoorn. Tandem quidem bella erat ſerenitas, ſed ſub veſperam inſurgebat Aquilo, itaq; cum verſus Occidentem vela verteremus, immanes fluctus habuimus obvios, & in hoc tractu æſtum maris ſummâ verſus Occidentem violentiâ ſeſe exonerare animadvertimus.

30. Experti ſumus etiamnum immenſos fluctus verſus Occidentem exundantes, aqua planè erat cœrulea, æſtus ſummo impetu verſus Occidentem devolvebatur: quæ ſigna ſimul certam nobis ſpem ac fiduciam afferebant, fore ut brevi tempore liberum tutumq; in Oceanum Auſtralem tranſitum reperiremus. Sub Meridiem ſub Poli Meridionalis altitudine grad. 57. min. 34. verſati ſumus

31. A Septentrione ſpirabat ventus, nos Occidentem verſus iter direximus. Sub Meridiem Meridionalem altitudinem 58. grad. aſſecuti, poſt Meridiem Zephyrum à W. S. W. ſatis variabilem habuimus. Prætervecti promontorium Hoorn, nullas ampliùs terras dignoſcere poteramus, ſed ab Occidente prægrandes, tumidæ ac cœrulei coloris

vol-

volvebantur undæ, quod magis atque magis in propoſito nos confirmavit, nullas deinceps terras, ſed mare vaſtum atque amplum nos reperturos. Magnas pluviarum injurias, grandinum horridarum procellas, ac ventorum viciſſitudines varias circa hanc regionem pertulimus, ut ſubinde curſus modò in hoc, modò in illud latus, prout neceſſitas flagitabat, fuerit obliquandus.

FEBRVARIVS. 1. Februarii (quo tempore media in hiſce regionibus viget æſtas) intenſum frigus ac horrida tempeſtas ab Auſtrali Occidentis plaga incubuit; ut nobis contractis velis hinc inde verſus N. W. & W. N. W. fluitandum fuerit.

2. Ab Occidente emerſit ventus, nos Meridiem verſus curſum tenuimus. Meridie altitudinem poli 57. g. 58. min. indicem horologicum autem 12. gradibus verſus Septentrionalem Orientis plagam declinaſſe obſervavimus. Magnam iſto die gavearum marinarum, ut & aliarum avium conſpeximus copiam.

3. Altitudinem 59. grad. & 25. minut. dimenſi ſumus. Cœlum erat ſerenum, ſed Occidente detonabat ventus. Hoc die juxta noſtrum computum Meridiem verſus uſq; ad altitudinem poli Meridionalis numeravimus 59. g. 30 m. nullas autem terras, imò ne terræ veſtigium Meridiem verſus conſpeximus.

4. Sub altitudine 55. g. 43 m. ventos varios, maximam partem Africum experti ſumus: obliquandus ergo pro venti ratione fuit curſus; Magnetem autem ad 11. gra. verſus Septentrionalem Orientis plagam deflexiſſe animadvertimus.

5. Magnis ventorum ab Occidente veſanientium tempeſtatibus vexati, mare usq; adeò turgidum ac tumidum habuimus, ut ne unicum quidem velum nobis liceret explicare, ſed navim ventorum undarumq; arbitrio permittere cogeremur.

6. Manè ventus Meridiem verſus ſeſe inclinavit. Itaq; ſublatis velis, curſum noſtrum Occidentem verſus direximus. Circa Meridiem ventus ab Occidente ſolſtitiali ortus eſt, cùm altitudinem Poli 59. circiter g. attigiſſemus. Deinceps ventos varios ac impetuoſos habuimus ab N. W. & N. N. W. Cœlum erat pruinoſum, ac magna grandinum niviumq; copia infeſtum, nos minoribus velis contractis Occidentem verſus navigavimus. Diebus inſequentibus horrida tempeſtas frigus nivoſum ac nebuloſum induxit.

12. Unicuiq; noſtrum in navi triplex vini portio obtigit, in ſignum lætitiæ, quòd tantæ molis incœptum tam feliciter ad optatum finem deduxiſſemus, ac novum iſtum tranſitum tam commodè detectum ſuperaſſemus. Eâdem die in majori concilio decretum (urgente ſic Jacobo Mario Commiſſario) ut novus iſte tranſitus, Fretum ſeu Tranſitus Marii indigetaretur; quamvis meliore jure ac merito Fretum Guilielmi Schouten dici debuiſſet, in honorem Navarchi noſtri, cujus potiſſimum induſtria, felici gubernatione, ac rei nauticæ peritia detectio iſta ſuſcepta, & ad exitum deducta eſt.

Toto iſto, quo novum iſtud Fretum, trajecimus, & Auſtralem Freti Magellanici oram circumlegimus, tempore, donec ad Occidentale Freti Magellanici latus rediremus: quotidie variis procellis ac vexationibus maris obnoxii fuimus.

Mare enim terribiliter commotum, ac impetuoſis fluctibus inflatum, cœlum ultra tempus pruinoſum ac pluvioſum magnam nivium atq; grandinum generabat copiam: ut proinde maximis miſeriis, variisq; calamitatibus fuerimus obruti: verùm ſperatus inſtituti noſtri progreſſus, ac felix hactenus ſucceſſus, animum nobis addidit, nosq; adeò confirmavit, ut, poſt habitis omnibus angoribus, periculis ac calamitatibus, omni virium contentione cœpta proſequenda, ac plenè planeq; conſtituenda cenſeremus.

13. Tempeſtas etiamnum adverſa pluviarum ac nebularum excitavit ſatis.

14. Altitudinem 51. graduum & 50. minutarum aſſecuti ſumus: pluviæ autem, & brumales nebulæ etiamnum perdurabant, ut & 15. die: quo tamen mare pacatius erat redditum, cùm ſub altitudinis grad. 50. min. 12. verſaremur. Nos Occidentalem nacti ventum verſus Septentrionem ferebamur, eoq; æſtum maris unà nobiſcum devolvi animadvertebamus.

Sequentibus diebus ab Occidente Septentrionali ſpirabant venti, uſque ad 23. quo cœpit generalis à Meridie exaudiri ventus: cœlum erat ſerenum, ac vaſti fluctus ab Auſtrali Occidentis plaga Meridiem verſus detrudebantur. Nos altitudinem 46. grad. 30. min. obſervavimus.

27. Altitudinem poli Meridionalis exactè 40. graduum comperimus. Tempeſtas bella ac ſerena erat, nosq; Auſtro, & S.S.W. adjuti quàm feliciſſimè Septentrionem verſus provehebamur.

28. In magno concilio, & à quatuor Naucleris decretum, ut ad inſulas Juan Fernando virium reficiendarum cauſa applicaremus, quod pleriq; noſtrum in perferundis tēpeſtatibus marinis exhauſti ęgrè anim trāherent, quidam etiam Scorbuto miſerè divexarentur. Verſabamur iſto die ſub altitudine 35. g. 53. m. Sub veſperam parvum quoddam velum extulimus, ut eò lentiùs progrederemur, nec dictas inſulas inviſas prætervehere- mur. Tota illa nocte verſus N.N.O. navigavimus.

Calendis Martii, albeſcente jam die, inſulas Juan Fernando ante nos proſpeximus, habuimus tum faventem Auſtrum tempeſtatémque commodam. Sub meridiem ad dictas inſulas appulimus, ſitas ſub altitudinis gradu 33. minut. 48. Duæ iſtæ inſulæ ſatis edito loco ſunt conſpicuæ: minor verſus Occidentem porrigitur, ſterilis ac tota montibus ac rupibus aridis referta. Major verſus Orientem ſita, itidem montoſa eſt, ſed varii generis arboribus exculta, herbarum feraciſſima, & diverſorum animalium, porcorum, caprorum & ſimilium abundantiſſima. Præterea incredibilis hîc piſcium omnis generis in circuitu, ac littore harum inſularum cernitur copia, qua de cauſa Hiſpani ex continente ſubinde eò piſcatum proficiſci ac brevi temporis ſpacio ingentem piſcium numerum retibus ſuis concludere ſolent, quos poſtea in Peruana provincia venales exponunt. Nos errore quodam notabili Occidentalem oram harum Inſularum raſimus, cum Orientalem legere opportuiſſet, ut ad ſtationem ordinariam, quæ in majoris inſulæ Orientali latere cernitur, pertingeremus. *MARTIVS*

Quamvis enim Occidentem verſus harum inſularum navigaremus, & poſt editum quendam locum appelleremus: nihilominus mare tranquillum ingreſſi ſumus, ut anchorarum firmandarum cauſa ad terram applicare haud potuerimus.

Miſſa itaque cymba, quæ fundum contaretur, ſub veſperam rediit, ac fundum ſabuloſum, altiùs protuberantem, ad anchoras jaciendas, commodiſſimum, vireſcenti cōvalli, diverſis arboribus diſtinctæ, quàm proximè adjacentem, 30. aut 40. orgyiarum ſe reperiſſe retulit: Noſtri homines temporis anguſtiæ prohibiti, pedem quidem navi non extulerant, viderant tamen aquam recentem ac dulcem, per varios canales ex altiſſimis montibus usq; ad mare deſcendētem & profluentem: in montibus etiam ingentem hircorum aliarūq; ferarum numerū: quę omnia ob nimiā loci diſtantiam penitiùs cognoſcere haud licuerat: Ceperunt etiam exiguo tēporis ſpacio magnā piſcium optimorū copiam; quàm primùm enim hamū aquę intinxerant, eū quā plurimis piſcib. onuſtū produxerunt, ut cōtinuo abſq; ulla intermiſſione in piſcib. ab hamo colligēdis occuparētur.

C Piſces

Piſces iſti maximam partem *Corcobades* erant,item aliud quoddam genus Praſimis noſtratibus non abſimile. Viderant etiam ingentem Luporum marinorum copiam. Nuncio hoc mirum in modum noſtri homines ſunt recreati,præſertim ii,qui à Scorbuto miſerè infeſtabantur. Spe enim fruebantur bona,illic ſe remediorum ac refocillationum reperturos ſatis,quò priſtinam ſanitatem vireſq; integras recuperare poſſint. Nocte inſequenti ſumma erat in mari tranquillitas, ut bonam viæ partem ab æſtu marino Septentrionem verſus abriperemus.

2. Manè iterùm navi noſtra quàm proximè ad dictas inſulas advecti,tamen (utcunque etiam ſumma animorum viriumq; contentione in id deſudaremus) tam propè ad eas accedere non potuimus, ut fundum anchoris jaciendis idoneum liceret reperire. Quoſdam ex noſtris iterùm in terram expoſuimus,ut piſces, aliaſq; beſtias in littore oberrantes caperent. Viderunt illi quidem,apros,caproſq; ſylveſtres,aliaſq; feras magnas, ſed quia virgultis aviis ſeſe abdebant,nullum ex iis prehendere poterant.

Donec autem cæteri de recenti aqua nobis proſpicerent, illi qui in cymba erant reliqui,duo dolia ex captis piſcibus complerunt. Fruſtra ergo tentato aditu,bellam iſtam inſulam,magno noſtro cùm mœrore,cùm nihil ex ea voluptatis percepiſſemus, deſerere coacti ſumus.

3. Manè intelleximus nos à dictis inſulis Septentrionem verſus jam ad quatuor leucas delatos eſſe,quamvis tota illa nocte,ac die præcedenti,ſuo quiſque munere gnaviter functi,ſummis viribus ad eam applicare enixi eſſemus:itaque cùm ingens tandem faſtidium ac tœdium animos noſtros ſubiſſet, quòd tam diu in vanum laborantes omnem operam perdidiſſemus, nec ulla ratione navem ad littus applicare licuiſſet; decretum in ſenatu,iſtas inſulas pro derelictis habendas,curſumq;, quò feliciter cœptum iter conficere poſſint,proſequendum eſſe,præſertim cùm omnibus iſtis diebus ventos habuerint ſecundos,qui facilè poſſint cadere. Hoc decretum vehementer ægrotis noſtris diſplicuit,qui eam ob cauſam omnem vitæ ſpem abjecerant,quam tamen Deus contra omnium opinionem clementer ipſis conſervavit. Sitæ ſunt hæ inſulæ ſub altitudine poli Meridionalis grad.33.40.min.

Facto igitur decreto curſum verſum N.N.W.direximus,ventoq; ſecundo atq; aurâ amicâ quàm celerrimè provecti ſumus.

11. Spirante Vulturno iter noſtrum verſus N.N.W. proſequuti,ſecunda vice Tropicum Capricorni ſuperavimus,ubi ventum generalem Subſolanum, item O.S.O. qui circa hanc regionem continuò flare ſolent,recuperavimus.

Nos verſus N.N.W. uſque ad diem 15. hujus menſis conversâ prorâ, ad altitudinis meridionalis grad.18 pervenimus. Tunc de communi conſilio mutato curſu verſus Occidentem contendimus. Eodem die unam ex Cymbis noſtris,quo remis propelli poſſet, adornavimus,quæ tempore oportuno,ſi fortè terras aut inſulas quaſdam offenderemus noſtris inſerviret commodis.

17. Invenimus altitudinem 19.g.vela autem verſus W.N.W.tetendimus.

20. Eramus ſub altitudine g 17. ubi vaſti fluctus à mari Auſtrali provolvebantur, Ventus ſpirabat O. S. O.ut antea,eundemq; verſus W. N. W.tenebamus curſum. Bolis autem marina dimidium quadrantem, ſeu ſex circiter gradus verſus Septentrionalem Occidentis plagam declinaverat.

Hîc magnã aviũ copiã reperimus,in iiſq; quoddã genus gaveis marinis quoad magnitudinem non abſimile,colore candidum, roſtro & capite rubrum,caudam habẽs bifurcatam,

catam, & duos circiter pedes cum dimidio longam. Ejuſmodi volucres in hoc mundi tractu paſſim conſpiciuntur.

24. Altitudinem 15. graduum aſſequuti, verſus Occidentem vela fecimus, & quamvis fortiter ab aurora, & O.S.O. ſpiraret ventus, nihilominus tamen, undis fluctibusq; marinis ad miraculum uſque vaſtis ab Auſtrali plaga ingruentibus feliciter propellebamur.

3. Aprilis, qui paſchatis feſto ſacer erat, ſub altitudine grad. 14. minut. 12. nos deprehendimus, gnomon verò nauticus ne tantillum quidem deflexerat, ſed directo Septentrionem deſignabat. Interim Scorbutus inter noſtros homines graſſari cœpit, ut mediam partem eo jam eſſent infecti. *APRILIS.*

9. Mortuus eſt Johannes Schouten, qui Celocis igni exuſtæ navarchus fuerat, frater ſupremi noſtri Navarchi, Guilhelmi Schouten, cùm morbo vehementiſſimo pluſquàm integrum menſem miſerè divexatus eſſet.

10. Manè poſt habitas preces defunctum in mare demiſimus, undisq; mandavimus. Sumpto jentaculo terram verſus Septentrionalem Occidentis plagam, & N.N.W. conſpeximus ad tres leucas à nobis diſſitam. Erat hæc parva & humilis quædam inſula, in qua magnam avium piſciumq; comperimus copiam. Nos ſumma alacritate eò contendimus, quòd refectionem aliquam ibi nos nacturos ſperaremus, qua quàm maximè indigebamus. Circa Meridiem terræ ſuccedentes, conto projecto, fundum non reperimus: Itaque Cymbam noſtram remis inſtructam, fundum anchoris jaciendis commodum quæſitum ire juſſimus: quâ reversâ, retulere noſtri, fundum ſe 25. orgyiarum ad ſclopi jactum à litore remotum inveniſſe: vidiſſe etiam complures *Emiſſolas*, aliosq; piſces ejuſdem generis, quales prope Inſulas Johan-Fernando conſpexerant: non auſos autem quàm proximè ad littus appellere, ne quod fortè periculum incurriſſent. Circa Meridiem iterùm Cymbam terram verſus emiſimus, ſi quid fortè annonæ inde poſſemus obtinere: ſed ripæ viciniores redditi, fieri haud poſſe, ob crebras maris verſus littus concuſſiones, intellexerunt, ut Cymbam ad terram penitùs propellerent: itaq; paululùm à littore ſubducta anchorisq; firmata Cymba, natando quidam in littus evaſerunt, qui reliquos poſtea funiculis ad ſeſe in terram protraxerunt.

Sub veſperam re infectâ ad navim reverſi, herbas tantùm quaſdam, guſtu quàm proximè ad naſturtium accedentes, attulerunt. Aſſerebant porrò tres ſe vidiſſe canes, qui neq; latrare, neq; mutire potuiſſent. Offenderant etiam exiguas quaſdem paludes ſeu ſcrobes recentis aquæ, eâ die à pluviis noviter collectas. Inſula hæc, quantum nos quidem dijudicare potuimus, maximam partem æſtu marino inundatur, ab uno latere belliſſimis arboribus, tanquam munito quodam aggere, circumſepta eſt, intus autem pleraq; loca aquâ marinâ erant repletâ.

Sita eſt ſub poli Auſtralis elevatione graduum quindecim, minutarum duodecim, diſtat ab ora Peruana, noſtro quidem judicio 925. milliaribus Germanicis. Spirabat eo die Boreas, itaque relicta iſta inſula verſus Occidentem, ut antea, ad inſulas Salomonis curſum noſtrum direximus, iſtam verò inſulam à viſis ibi canibus Canum inſulam appellavimus. Nocte inſequente tanto impetu cum copioſis pluviarum imbribus inſurrexit ventus, ut majus noſtrum velum diſrumperetur.

14. Ventus itidem, ut antea, ab aurora & O. S. O. perflabat, nos verſus Occidentem navigantes magnam piſcium aviúmque cernebamus copiam. Jentaculo

 ſum-

ſumpto,deteximus verſus Septentrionalem Occidentis plagam aliam quandam, depreſſam illam quidem,ſed amplam inſulam,inter Septentrionalem Orientis,& Auſtralem Occidentis plagam porrectam. Eò quoque magno cum gaudio deproperavimus, quòd omnino ſperaremus iſtic tandem aquam recentem aut recreationem aliquam nos reperturos.

Sub veſperam cùm unam circiter Leucam à terra abeſſemus, obvios habuimus in Canoa quadam quatuor barbaros,planè nudos, colore rubro, capillis admodum promiſſis ac nigris.

Non audebant illi propiùs ad navem noſtram accedere,ſed ſatis magno à nobis intervallo ſubſiſtentes,alta voce clamabant, ac geſtibus ſignisq;, ut ad terram appelleremus,indicabant:ſed non intelligentibus fruſtra dabantur verba. Quamvis etiam ad exigui ſclopeti jactum littori appropinquaremus,neque fundum tamen, neq; ullam aquæ alterationem deprehendimus.

Itaque nos quidem altum petiimus, Canoa verò ad barbaros ſuos in terram, qui magno numero,nudi in littore eam præſtolabantur,eſt reverſa. Paulò poſt alia quædam Canoa ad nos venit,verùm ut prior,propiùs ad nos accedere noluit. E longinquo nos viciſſim inclamabamus, ſed fruſtra, cùm neuter alterum intelligeret. Canoa in noſtro conſpectu ſubundis mergebatur,verùm illi unico momento eam erectam, ac mirabili celeritate inverſam ex undis extulerunt. Variis nos ſignis in terram prolicere conabantur,nosq; illos viciſſim, ut ad nos venirent, provocabamus, Sed perſuaderi non poterant. Nos relicto iſto loco iter noſtrum verſus Meridiem, & S.S.W.continuavimus, ut terminum iſtius inſulæ attingeremus. Inſula hæc non tam in latitudinem,quàm longitudinem patet,ſita ſub altitudinis grad. 15 & minut. 15. Tota arboribus conſita, quæ, quantum oculorum acie aſſequi poteramus, Palmitas, atque Cocos referebant. Noctu cum latus iſtius inſulæ raderemus, complures quaſi in ſpeculis ignes conſpicati ſumus.

15. Cum ad duas circiter leucas verſus S.S.W. noctu eſſemus provecti,ſummo mane quàm proximè ad littus acceſſimus, in quo ingentem conſpeximus multitudinem hominum nudorum,clamantium,ac certis quibuſdam ſignis, vt nobis quidem videbatur,quò in terram exſcenderemus,nos invitantium. Miſerant quoque tres nudos in Canoa quadam nobis obviam,qui ibidem ut cæteri clamabant,cæterùm ad navim noſtram appropinquare haud audebant,interim quàm proximè ad Cymbam noſtram accedebant:noſtri homines illos ſingulari humanitate ac benevolentia acceptos coralliis quibuſdam ac cultris donarunt,quamvis neutra pars niſi ex ſignis quibuſdam alterius mentem poſſet colligere.

Ubi aliquandiu ad Cymbam eſſent morati, illâ relictâ, tam propè ad navem noſtram ſeſe contulerunt, ut quidam ex noſtris funiculum, quem apprehenderent, illis projiceret,verùm navem noſtram intrare planè renuerunt. Tandem unus ex illorum numero,animo obfirmato navis tabulatum conſcendit:is extractos feneſtris clavos in cubiculo Navarchi & Commiſſarii ſub capillis recondidit: ferri admodum ſunt adpetentes:paſſim enim in navi clavos,repagula,ac grandiores compages ferreas furandi animo apprehendebant.

Nos indiciis quibuſdam illis ſignificavimus,ut eorum unus obſidis loco penes nos ſubſiſteret,unus verò ex noſtro numero unà cum ipſis in terram notitiæ contrahendæ, fœderisq; ineundi gratia proficiſceretur. Quod ut facerent, minimè adduci potuerunt.

Toto

Toto corpore erant nudi, tantummodò obſcœnam corporis partem exiguo quodam velamento tecti. Cutis eorum diverſis Serpentum, Draconum, aliarumq; abſtruſarum formarum figuris erat colorata, ac pulvere tormentario quaſi uſtulata apparebat. Nos in exiguo poculo vinum illis bibendum porreximus, verùm illi exhauſto vino poculum admodum ægrè reddiderunt. Miſimus iterùm ad littus Cymbam noſtram cum 8. viris ſclopo armatis, & ſex gladio inſtructis. Vice-cōmiſſarius navis noſtræ, ut & Commiſſarius celocis unà ibant, ſi forte fœdus cum iſtis barbaris paciſci, aut mercibus commutandis quæſtum aliquem poſſent facere: Quàm primùm verò ſuperatis jam maris concuſſionibus noſtri pedem in terram extulerunt: triginta circiter Barbari ex nemore quodam proſilientes, clavis inſtructi ligneis impetum in noſtros facere, captosq; armis exuere conati ſunt. Duos enim ex Cymba protractos in nemus iſtud ſecum abripere voluerunt.

Quod cùm, qui in Cymba erant reliqui, animadverterent, tribus in ipſorum mediam aciem directis mouſquetarum ictibus, facilè in fugam eos conjecerunt, aliquot ex illorum numero aut necatis, aut lethaliter ſauciatis. Inter reliqua arma non poſtremum locum obtinent baculi prægrandes ac longi, quorum mucro exterior, branchas piſcium referens, cornibus ſeu gladiis piſcium, quos *Emperador* vocant, probè veſtiūtur. Fundas quoque fortiter ſtringebant, abſque ullius tamen perſonæ periculo. Videbant etiam fœminas quaſdam, virorum colla prenſantes, atque acriter clamantes, quod eò factum interpretabantur noſtri, ut maritos incolumes à prælii alea ſubeunda dehortarentur. Inſula hæc ſub altitudine grad. 15. ſita, à Canum inſula 100. ferè leucis diſtat. Nos eam *Inſulam fundo deſtitutam* nuncupavimus, quod nullo in loco fundum anchoris firmandis accommodum poſſemus invenire. In exteriori littoris parte, quaſi agger quidam cernitur, Palmitis circumſeptus: interior regio aquis marinis eſt referta. Cùm verò parùm lucri iſtac in inſula nos facturos præſentiſceremus, illa quoque rejecta, pleno mari, vento aſpirante ſubſolano verſus occaſum vela dare conſtituimus Mare in hoc tractu tranquillum ſine fluctuum inſultibus, quos quidem præcedentibus diebus paſſi eramus, experti ſumus, quod opinionem nobis afferebat, fore ut verſus Meridiem, adhuc alias regiones atq; inſulas detegeremus.

16. Albeſcente jam die aliam inſulam verſus Septentrionem à nobis diſſitam proſpeximus, ad quam applicantes, itidem illam ut præcedentes fundo anchoris jaciendis idoneo deſtitutam deprehendimus. Interior enim regio aquis marinis erat obducta, exterior verò non quidem Palmitis aut Cocos, ſed alius generis arboribus erat conſpicua. Cymbam quidem noſtram, quæ fundum contantur, adornavimus, ſed illa quàm celerrimè reverſa, neque fundum, neq; homines ullos ſe reperire dixit. Nos illam denuò terram verſus amandavimus, darent operam, quo vel refectionis aliquid, vel aquam dulcem poſſemus obtinere: qui reverſi, aquam dulcem in foſſa quadam haud ita longè à littore ſe inveniſſe retulerunt, quæ exiguis vaſculis ad littus comportanda eſſet, verùm incommodè eam in Cymbam deferri poſſe, quæ ob continuos maris ad terram aſſultus propiùs terram impelli haud poſſet, ſed ab anchoris in mari hæreret, ut natando in terram eniti, reliquosq; funiculis ad ſe pertrahere, eademq; ratione in Cymbam remeare coacti fuerint, ſummoq; cum labore vix quatuor dolia aqua compleverint. Ibidem quoq; herbam ejuſmodi invenimus, qualem in Canum inſula repertam, Naſturtii ſaporem referre diximus: nos ſaccum ejuſmodi herba repletum Cymbæ intulimus: ut & cancros quoſdam marinos, cochleas ac limaces boni ſaporis. Imminente jam veſpera hanc quo-

que inſulam à tergo reliquimus, ac verſus occaſum tendentes mari tranquillo Eurus pluviis atque imbribus proſecutus eſt.

Die iſto altitudinem quatuordecim graduum, 46. min. emenſi ſumus. Diſtat hæc inſula ab altera illa, 15. leucis: nos eam Aquæ inſulam indigetavimus, quòd aliquantulum recentis aquæ ibi reperiſſemus.

17. Unicuiq; noſtrum ſeſquipinta aquæ recentis diſtributa eſt, ex qua in ingentem cacabum effuſa, additaq; herba illa, quam ex Inſula reportaveramus, potionem præparavimus, quam pro remedio bibentes, qui Scorbuto infeſtabantur, non parùm relevationis experti ſunt.

18. Poſt ſumptum jentaculum aliam denuò humilem inſulam verſus Auſtralem Occidentis plagam deteximus, quæ quantum oculorum acie poteramus aſſequi, verſus W.N.W. & O.S.O. porrecta, à priori illa 20. leucis diſtabat. Nos ad eam directis velis quàm proximè navigantes Cymbam fundum exploratum miſimus: reverſi, qui in ea erant, retulerunt, ſe ad majoris ſclopeti jactum à littore in cuneo ſcopuloſo, prorſus acclivi fundum 20. 25. & 40. orgyiarum inveniſſe. Itaq; ſcapham noſtram cum duobus inanibus doliis eò ablegavimus, ſpe certâ, aquam dulcem ibi repertum iri. Quæ cùm ad littus appuliſſet, noſtri homines, eâ ab anchoris ſuſpensâ, alter alterum etiam adverſo flumine in terram protraxerunt: poſtea aquas quæſitum nemus ingreſſi, cùm planè inermes barbarum quendam arcu inſtructum, & ut ipſis quidem videbatur, ſagittas manu verſantem conſpexiſſent, continuo ad ſcapham converſi, ad navim porrò re infecta redierunt.

Quàm primum noſtri paululum à littore ſcapham ſubduxiſſent, quinque vel ſex barbari nudiq; homines in littore comparuerunt, qui cùm noſtros jam diſceſſiſſe animadverterent, ipſi quoque in ſylvas ſeſe proripuerunt.

In Inſula iſta magna pulcherrimarum arborum ſylveſtrium conſpicitur copia: interiora autem loca aquis marinis erant inundata. Noſtri cum denuò ad dictam inſulam applicuiſſent, muſcis planè ſunt obtecti, ut neq; faciem neque manus eorum poſſemus contueri: imò Cymba ac remi, quantum quidem aquis prominebant, muſcis obducti nigredinem quandam induerant, quod certè peregrinum atq; mirum nobis omnibus viſum eſt. Muſcæ iſtæ una cum noſtris hominibus navem intrantes, continuo facies ac corpora noſtra circumcirca involarunt, ut, qua ratione ab illis nos defenderemus, haud conſtaret. Sive enim eſſemus, ſive biberemus, omnia ſtatim muſcarum iſtarum impudentia inquinabantur. Nos faciem quidem ac manus abſq; ulla intermiſſione fricuimus, inſtrumenta etiam quædam in illarum necem excogitavimus: illæ nihilominus biduum aut triduum ſummo cum faſtidio acerrimè nos infeſtarunt. Tum partim inſurgentis venti impetu, partim aſſiduis noſtrorum captationibus abactæ, circa finem trium aut quatuor dierum evanuerunt. Nos iſthac de cauſa hanc inſulam, *Het Vlieghen eyland* ſeu *Muſcarum inſulam* appellavimus.

Nos relictâ hac inſulâ, verſus occaſum iter noſtrum proſecuti, ſub noctem, nunc exiguo velo, nunc ſine velis navem fluctibus permiſimus, quod metus eſſet, ne navis in humilem quandam inſulam vi ventorum illiſa diſperderetur. Iſto, ut & ſequentibus diebus tanti ceciderunt imbres, ut bonam aquæ copiam, partim linteis, partim velis expreſſam colligerimus, quod pro rei neceſſitate commodiſſimum nobis accidit.

23. Sub altitudine grad. 15. minut. 4. denuò vaſtos à Meridie fluctus experti ſumus, qui ſequentibus quoque diebus continuabant: eodem, quo in Hiſpano mari ab occa-

occaſu brumali volvuntur,modo: Ventos habuimus Japyga, maximam tamen partem, Subſolanum,& O.S.O.

25. Aqua pluviali quatuor vaſa complevimus.

3. Maji,flante O.S.O. occaſum verſum iter arripuimus, circa Meridiem aſſecuti 15. altitudinis gr m.3. Hoc die quàm plurimos prægrandes Dorades vidimus, iiſque primi fuere,quos in Auſtrali Oceano conſpexerimus. MAIVS.

9. Verſabamur ſub gradu 15.20.min.altitudinis, juxta noſtrum computum ab ora Peruana,& Chili ad 1510 milliaria Germanica remoti. Sumpto prandio Velum ab Auſtro Septentrionem verſus nobis obviam ferri conſpeximus: Itaque Barquam Hiſpanicam eſſe rati,unius tormenti diſploſione,ut vela ſtringeret, ſignum dedimus. Quod cùm facere detrectarent,iterum exonerato tormento, ne ſic quidem, ut vela ſubmitterent,adduci potuerunt.Itaq; decem viros mouſquettis armatos in cymba miſimus, qui remis illos inſequerentur:interim adhuc ſemel repetito tormenti majoris ictu: ſed nondum ad obſequium parati, omni ope atque opera fugam capeſſebant, cùm ventum inſuper commodum eſſent nacti: Nihilominus tamen Cymba noſtra,remis fortiter impulſa,eos aſſecuta eſt,cumq; ad dimidium ſclopi majoris jectum ad illos appropinquaſſet,quatuor exploſis mouſquettis in illos effulminarunt. Ut propiùs barquam noſtros viderunt moliri,quidam ex iis ſupra modum turbati atque territi, quod animo hoſtili, nos ipſos aggredi vererentur,in mare proſilientes,natando vitam ſervare voluerunt. Ex his unum,qui puerulum geſtabat, item alterum, qui in tergo vulneratus erat, ex mari protraximus: Inter fugiendum merces quoque quaſdam, utpote ſtoreas quaſdam ſubtiliter contextas,item tres gallinas in mare projecerant. Noſtri navigium illorum,nemine reſiſtente,quod planè inermes eſſent,ingreſſi ſunt. Cum ad navim noſtram rediiſſemus,duo viri,qui in navigio remanſerant,conſcenſa navi, ad pedes noſtros ſeſe abjicientes, pedes manusq; exoſculati ſunt. Horum alter provectæ ætatis capillos habebat candidos:alter junior promiſſis & rufis capillis,idem ille erat, qui vulnus in tergo acceperat. Nos vulnere per Chirurgum noſtrum obligato,benè illos tractavimus. Ut primùm ad navem noſtram navigium illorum perductum fuit, Cymba ad reliquos maris periculo ſubtrahēdos properavit: verum duos duntaxat ſuper remis ſuis fluitantes invenerunt:qui digitis fundum verſus protēſis, reliquos undis ſubmerſos indicabant,quod magnopere nobis diſplicuit. Reperimus in hoc navigio octo fœminas,tres lactentes infantes,item alium quendam 9 aut 10. annorum; ut conjecturâ 25. perſonas in iſta navi fuiſſe colligeremus. Sub veſperam viros ad navigium ipſorum perduximus, de quorum adventu admodum gaviſæ mulieres,continuò in oſcula eorum proruerunt. Nos illos cultris ac coralliis quibuſdam donavimus, quæ illi ſuſpenderunt: omnemq; illis benevolentiam ac familiaritatem exhibuimus: quemadmodum ab illis nobis quoq; ſimiliter eſt præſtitum. Duas enim bellè confectas ſtoreas, ut & duas Cocorum nuces nobis dono offerebant,quod exiguum earum numerum haberent,nec ulla alia,unde viverent annona ſupereſſet:imò aquam omnem ex nucibus jam exhauſerant,ut magna illius penuria jam laborarent. Vidimus non tantùm adultos,aquas marinas bibere, ſed infantibus quoque eas in potum porrigi, quod contra naturam fieri à nobis exiſtimatum eſt. Cæterum nudi incedebant omnes, tàm fœminæ quàm viri, verenda tantùm exiguo quodam velo tecti. Habebant quoque vela ſeu panniculos quoſdam (ejuſdem generis, quo in pudendis velandis utuntur) miri miſtíque coloris, quibus adverſus ſolis calorem ſe protegunt. Colore ſunt rubro, ac certo quodam oleo, ſeu adipe ſeſe fricant, ac inun-

inungunt: Fœminæ capillos tonſos habent,eodem quo apud nos viri modo: viri autem perquàm longos,ac nigerrimo colore infectos. Navigium illorum mirabili ſtructura, formaq; exotica erat fabricatum, ut ex figura ad libri calcem adjecta apparebit. Facta erat ex duabus longis ac pulchris canois, inter quas ſatis amplum relictum erat ſpacium; in harum medio duo lati ex ligno rubicundo ultra canoarum latera aſſurgebant aſſeres: quibus transverſim minores trabes ſuper impoſitæ,ſubtus aliæ tabulæ,probè clauſæ,compactæ invicemq; colligatæ ſubſternebantur. In alterius Canoæ prorâ ad latus dextrum,palus bifurcatus erigebatur,qui pro malo inſerviebat, à quo vela, ex ſtoreis Hiſpanicarum barquarum in morem præparata ſuſpendebantur. Admodum agiles ac navium regundarum gnari erant: quamvis pixide aliiſq; inſtrumentis nauticis deſtituti,ſolummodò hamis piſcatoriis inſtructi eſſent, qui ſuperiorem partem lapide quodam, inferiorem oſſe nigro, aut ſerpentum aculeo, quidam etiam margaritarum conchis veſtiti erant. Rudentes eorum ex ſtupa probè condenſati, & in morem fiſcinarum, quibus ficus Hiſpanicæ conduntur,affabrè erant facti. Cum à nobis diſcederent, curſum ſuum verſus Auſtralem Orientis plagam direxerunt.

10. Ventis Spirantibus S.S.O.& S.O.S. nos vela occaſum verſus,& W.S.W. contorſimus. Manè poſt ſumptum jentaculum terram verſus S.W.S. octo circiter leucas à nobis diſſitam proſpeximus, edito ſanè loco, ac colore cœruleo. Nos eò perrecturi, quamvis ventos faventes,ac fortiter ſatis nos proſequentes haberemus,eo tamen die ad inſulam iſtam appellere non potuimus,ſed ea nocte nobis auroram præſtolantibus hac illacq; in mari fluctuandum fuit.

Sub veſperam duo navigia, ſatis magno intervallo à terra remota obſervavimus: Nos eos piſcatores rati ſumus,quod ſubinde hac illacq; navigarent, ſub noctem autem ſuccenſo igni,quàm proximè invicem appropinquarent.

11. Sub ipſum diluculum ad altam quandam inſulam appulimus, à qua aliam quandam planam ad duas circiter leucas diſtantem conſpeximus: nos eo die brevia quædam, ad quatuordecim orgyias profunda fundo ſabuloſo 2. circiter leucas à terra diſtantia ſuperavimus: poſtea verò fundum amplius reperire haud potuimus.

Unum ex his navigiis nobis proceſſit obviam,nos vaſculum illis projecimus ad navem noſtram eos venturos rati: cùm verò illud attingere non poſſent, quidam ex iis in mare deſiliens vaſculum prehenſum ad ſocios pertraxit. Remiſerunt nobis de chordula ſuſpenſas duas nuces de Cocos,ut & tres quatuórve piſces volantes: ſimul alta voce nos inclamantes. Verùm licet illos haud poſſemus intelligere,illud tamen velle videbantur, ut chordula, quàm primùm ipſis reſtitueretur. Homines hi in navigio ſuo etiam Canoam quandam habebant, quam data nataq; occaſione in mare poterant protrudere. Ejuſdem erat ſtructuræ cum illa, cujus ſupra mentionem fecimus.

Velis probè ſunt inſtructa,iiſq; ſinuatis quàm celerrimè progrediuntur,ut in Hollandia paucas reperias naves, quæ illa curſu antevertant. Navigia iſta in puppi duobus remis gubernant, in unaquaq; Canoa virum conſtituentes: interdum etiam remis ſuis in proram procurrunt. Quoties navem volunt convertere, illa, ſolummodò extractis ex mari remis, ſi liberè ventorum arbitrio permittatur, ſua ſponte convertitur.

Nos cymbam noſtram fundum contatum emiſimus,quâ reversâ, retulerunt, fundum ſcopuloſum 15.14.& 12. orgyiarum ad majoris tormenti jactum à littore reperiri; quare ut anchoris jactis vela contraheremus eò proram vertimus. Barbari id animadver-

vertentes,ſignis quibuſdam,ut ad alteram inſulam applicaremus nos monebant, eoq; ſuis navigiis viam nobis præibant;nos tamen in cœpto perſiſtentes, juxta terminum iſtius inſulæ ad validum tormenti majoris jactum à terra fundo ſabuloſo orgyias circiter 25.anchoras defiximus. Inſula iſta edito loco ſita, variis montibus aſſurgit, eadem propemodum forma cum *Moluccis* inſulis,arbores gignit varias,præſertim *Cocos* dictas, unde etiam noſtro arbitrio *Cocorum inſulæ* nomen ſortita eſt.

Altera inſula longior quidem,ſed depreſſior,ab Oriente in Occidentem protenditur. Ut primùm anchoras excuſſimus,continuò tres naves hinc inde fluitantes circumcirca noſtram navem ambierunt;mox 9. aut 10. Canoæ,partim ex littore, partim ex navibus expeditæ ad navem noſtram appulerunt. In iis duæ in ſignum pacis duo vexillula alba explicuerant,quod etiam à nobis factum eſt. Canoæ eorum ſingulæ, quatuor aut quinque homines capiebant,earum anterior pars plana, poſterior in mucronem deſinebat:totæ ex trunco ligni rubicundi excavato conſtabant, his quàm celerrimè, etiam ad miraculum aquas norant ſubigere. Cum propiùs navem noſtram veniſſent,ex Canois proſilientes natando ad latus noſtræ navis pertigerũt,in manibus nuces de Cocos, & radices Ubas geſtantes,quas pro clavis & coralliis,quæ avidè deſiderãt, eſſent permutaturi. Pro unoquoq; clavo,& exiguo corallii granulo,quatuor aut quinq; nuces reponebant,ut iſto quidem die 180. nuces lucraremur. Tam denſo enim agmine ad navem noſtram proruebant,ut quò nos verteremus,vix ac ne vix quidem ſciremus.

Nos cymbam noſtram ad alteram illam inſulam emiſimus,exploratum,an commodior iſtic anchoras jaciendi pateat locus,propè enim in aperto hærebamus mari. Vix ea ripam legere cœperat,continuò à duodecim vel tredecim Canois ex altera inſula unde etiam complures aliæ deproperabant,circundatur. Qui in illis erant barbari, furioſis ſimiles,baculos ex duro ligno factos, Aſſagajarum Indicarum in morem antrorſum acuminatos atq; uſtulatos manibus torquebant. Hi impetu in Cymbam noſtram facto,illam intercipere conſtituerant. Noſtri homines arma neceſſariò ad defenſionem expedienda rati,ter repetito muſquetarum ictu in illos effulminarunt. Hunc illi riſu primum ac ſannis exceperunt,puerilem luſum æſtimãtes:poſteaquam tertia vice unus in pectore vulnus concepiſſet, ut ſupinus in terram caderet,ſtatim cum ſociis ac navibus ad opẽ illi ferendam convolarunt:quem ubi tam graviter vulneratum compererunt, pedem à Cymba noſtra retrahentes,ad velivolam quandam navem ſe contulerunt,unicè opem ejus contra Cymbam noſtram exquirẽtes,verùm illa hoc ipſis denegavit,quòd jam antè Canoas ſuas ad navem noſtram ablegaſſet,quæ à noſtris hominibus benignè habitę,atque amicabiliter eſſent exceptę. Barbari iſti fures erant eximii,contum enim,qui ad unũ ex naucleris noſtris pertinebat,nobis aſpicientibus furati ſunt: Quicquid enim oculis uſurpant,id ſuum eſſe exiſtimantes,manibus attrectare,ac natando ſubducere,ſi poſſint non dubitant.

Quod nautæ cuidam accidit,cui culcitram,ſtragulam ac togam ſurripuerunt. Alii cultellos ac quidvis obvium prehendentes confeſtim ex navi ſeſe in aquas præcipitabant,natando prædam ablaturi. Qua de cauſa Cymbam de nocte in navem protraximus,veriti,ne præciſis funibus illam quoque nobis interverterent.

Supramodum ferri ſunt avidi. Paſſim enim clavorum capita,vectesq; ferreos attrectantes,illos extrahere conabantur,fruſtrà,quod fortiter impacti tenaciùs inhærerent. Belli alioquin ſunt homines,ſi membrorum & corporis proportionem cõſideres,ſtaturæ prægrandis,planè nudi & inermes,verẽda tantũmodo obnubẽtes:capillitia eorũ ſunt

D diverſi

diverſi generis: quidam curtos, alii criſpos, hi promiſſos, illi in longam ſeriem nexos ac reflexos alunt capillos. Interim natatores ſunt optimi. Hæc Inſula de Cocos, ſita eſt ſub. 16. grad. 10. minutis.

12. ejuſdem menſis, poſtquam jentatum eſſet, denuò complures Canoæ ad navem noſtram appropinquarunt, afferentes nuces de Cocos, Bananas, radices d' Ubas, atque exiguos porculos: quidam etiam cortices nucum de Cocos aqua recenti repletos geſtabant. Nos illo die plus quàm 1200. nuces de Cocos permutavimus. Negociatorum erāt 65. quilibet 12. nuces de cocos acquiſierat. Certatim ad navem noſtram proruebant, etjam Canoas ſubter natantes, ut primi merces ſuas nobis poſſent exponere, easq; nobiſcum permutare: Radices d' Ubas, ut & nuces de Cocos ore geſtabant, tamq; denſo agmine ad navem noſtram ferebantur, ut baculis eos abigere cogeremur.

Peractâ negociatione, ex navi proſilientes natando ad Canoas ſuas remeabant. Cōſpecta mole ac robore noſtræ navis, quaſi attoniti ſtabant: quidam propè gubernaculum in altum enitentes, lapidibus navim percutiebant, de firmitate ejus facturi periculum. Ex altera quoque inſula Canoa quædam ad nos venit, porculum ſylveſtrem dono Regis ſui nobis offerens: quem licet inhonoratum dimittere nefas duceremus, is tamen dona oblata reſpuit: ſignis ſubindicans, ſibi, ut quicquam acciperet, à Rege ſuo interdictum eſſe

A meridie Rex ipſe vaſto quodam navigio velis inſtructo, ejuſdem generis, pro ut ſupra oſtendimus, cujus forma Traham glacialem referre poſſit, advectus, ac 35. Canois ſtipatus ad navem venit. Rex ſeu primas iſtius inſulæ à ſubditis *Latou* appellabatur. Nos illum tympanorum, buccinarumq; clangore excepimus, quæ res tanquam ipſis hactenus inaudita, atque incognita in admirationem omnes rapuit.

Illi viciſſim nobis honorem ac benevolentiam, quantam quidem poterant, exhibituri, demiſſo capite, tempora pugnis tundebant, aliásque peregrinas ceremonias uſurpabant.

Cùm paululum adhuc à nobis abeſſent, Rex hinc inde ſe jactitans, ſumma vocis contentione, ac ſi præces ſuo modo vellet fundere, clamare cœpit, cujus exemplum univerſus comitatus eſt ſecutus. Nos licet, quid clamor iſte ſibi vellet, non intelligeremus, tamen ex ſignis quibuſdam, illos de adventu felici nobis gratulari, rati ſumus.

Continuò poſt Rex per tres miniſtros Stoream nobis dono miſit, quibus è contra nos obtuſam ſecurim, coralliorum ac tritorum clavorum paululum cum faſciculo telæ Hollādicæ reddidimus; quæ rex quàm humaniſſimè excepta tertiâ vice capiti impoſuit, poſteaq; caput in reverentiæ ac gratæ mentis teſtimonium inclinavit. Barbari, qui navem noſtram conſcenderant, ad genua nobis advoluti, pedes noſtros exoſculabantur, neque ſtructuram navis noſtræ mirari ſatis poterant. Rex iſte à reliquis Indianis difficulter dignoſci poterat, nudus enim, ut reliqui, incedebat, interim ſummo in honore, & magna apud ſuos erat authoritate. Nos ſignis quibuſdam Regem Latou in navem noſtram invitavimus. Filius eius ad navim venit, benigniſſimè à nobis exceptus, ipſe autem Rex venire noluit aut certè auſus non eſt. Cęterū geſtib. ſignificabant, ut ad alterā illām inſulam navi noſtra pergeremus, ubi omnium rerū abundantiā eſſemus reperturi. Præter alia ab illis tres virgas hamatas, ex arundinibus confectas Holliandicis non abſimilis, niſi quòd paulò ſint ſpiſſiores: uncinoq; ex conchis margaritarum munitæ ſint, accepimus. Filius Regis ad terram reverſus eſt, Canoa autem, quà vehebatur, in infima

ſima parte grande quoddam lignum,quo dirigebatur,habebat conſtitutum. Super quo ligno ſemper hamus ad piſcandum in promptu erat.

13. Die 45. Canoæ,cum 23. velivolarum navium claſſe,ad navem noſtram commerciorum ergò, ut prætendebant, appulerunt. Naves hæ trahis glacialibus erant ſimiles, quælibet 25. viros circiter capiebat, minores autem Canoæ 5. aut 6. viros vehebant: quorſum autem tantam expediiſſent claſſem,nec dum patebat. Canoæ etenim omnes ſuo more commercia nobiſcum contrahebant,nuces de Cocos clavis ferreis nobiſcum commutantes,atque amorem haud vulgarem erga nos præ ſe ferentes , quem tamen ſimulatum fuiſſe eventus paulò poſt edocuit. Etiamnum nos,ut ad alteram inſulam vela faceremus,ſignis ſuis proliciebant. Ergo poſt ſumptum jentaculum , ſublatis anchoris, eò ire perreximus. Rex ſeu primas,qui pridie nobis adfuerat,velis inſtructa navi iterùm ad nos appropinquabat,ſimulq; uno ore omnes horrendum acclamabant. Nos illum lubentes in navim noſtram recepiſſemus,verùm ipſe hoc facere detrectavit: id monſtri aliquid alere nobis viſum eſt , præſertim cum ipſorum navibus ac Canois noſtram navem propè circumſeptam,Regem verò ex ſua navi in Canoam quandam,ut & filium ejus in aliam quandam ſeſe proripientes conſpiceremus. Mox tympanum,quod in Regia nave erat fortiter pulſantes,altiſſimos clamores edidere:quo indicare viſi ſunt, ut alacriter omnes impetum in nos facerent,navemq; caperent. Quem in finem regia navis quanta potuit violentia,adverſum nos contendit, ſperans ſe ſinuatis velis noſtram navem præterire poſſe, verùm tanto impetu ad navim noſtram eſt alliſa, ut duæ Canoarum proræ fruſtillatim contuſæ hinc inde diſpergerentur: qui in iſta navi fuerant, inter quos etiam fœminæ quædam conſpiciebantur, in aquas deſilientes natando in ſublime ventum verſus evadere conabantur: Reliqui terrorem nobis incuſſuri lapidum imbrem in nos effundebant. Nos autem mouſquettas noſtras,ac tria majora tormenta bombardarum pilis, clavisq; corruptis onerata in ipſos diſploſimus, ut quotquot navi noſtræ adhærerent, confeſtim in undas prolaberentur. Noſtra opinione non pauci,viæ,qua domum redirent, obliti, ſub undis perierunt, complures graviter vulnerati fugam capeſſebant. Diſploſionem tormentorum nequicquam verebantur:cum autem jacturam ſuorum ex tormentorum diſploſione ortam intuerentur,è longinquo ictum ſtudebant declinare.

Nos iter noſtrum verſus W.S.W. arripuimus. Ac certè omnes ſuas copias tum quidem Rex iſte in aciem eduxerat, quippe plus quàm mille viris,in quibus unum albi coloris cõſpicati ſumus,adverſum nos impetum fecerat Cum jam quatuor circiter leucas à dicta inſula abeſſemus,complures ex noſtris eò redeundum,ac vi in terram erumpendum cenſebant, quò refectionis aliquid obtinere poſſent : ſed hoc interventu Navarchi & Commiſſarii impeditum fuit. Prior inſula, loco edito ſita , à nobis Mons cocorum appellata eſt : poſterior ab altera ad leucam unam diſtans dicta eſt , Proditorum inſula , quòd plerique , qui nobis inſidias ſtruxerant , ex hac inſula eſſent oriundi.

14. Manè aliam quandam inſulam è directo ad ſeptem leucas nobis oppoſitam conſpeximus : hæc maximam partem rotunda , à duabus ſupradictis triginta leucis diſtare viſa eſt. Nos illam , Spem , appellantes , eò curſum noſtrum convertimus , ſpe freti bona , aquam recentem , ac meliorem refectionem nos ibi reperturos.

Ut viciniores facti ſumus, fundum non invenimus. Emiſſa Cymba , quæ fun-

dum exploraret,ad muſquettæ jactum à terra fundum ad 40. orgyias nigrum & petroſum invenit,nonnunquam ad 20.aut 30.orgyias: cum verò ad unius vel duarum cymbarum longitudinem progrederetur,nullum amplius fundum offendere potuit. Hîc decem aut duodecim Canoæ ad nos appulerunt,ſed barbaros in navim noſtram admittere noluimus, nihilominus omni illis exhibita benevolentia quatuor piſces volantes paululo Coralliorum mercati ſumus:corallia iſta chordulæ annexa ex puppi ipſis demiſimus,quibus acceptis, eidem chordulæ piſces aliquot alligarunt, interea dum cymba noſtra contatum prodiiſſet. Quam cùm,qui in Canois erant, conſpexiſſent, continuo deſerta navi ad cymbam properarunt,quò delati primùm ſermones quoſdam inconditos atque incognitos ultro citroq; habuerunt:mox 14. ſuis canois eam planè circumſepſerunt:ex quibus quidam proſilientes impetu in cymbam facto eā ſubvertere,aut deſuper ſub undas deprimere conati ſunt. Quod animadvertentes noſtri muſquettas in ipſos eliſerunt, (ſex enim in cymba muſquettis inſtructi, reliqui gladiis & pipennibus probè armati erant,)eoq; ictu duos in Canois deſidentes interfecerunt:unum,qui continuo ſeſe in undas præcipitem egit,alterum, qui aliquandiu ſubſidens, ſanguinem ex pectore vola excipiebat,tandem tamen ex Canoa in mare prolapſus eſt. Territi hoc ſpectaculo,qui in Canois erant, reliqui, illico fugam adornarunt. In littore quoque complures Barbaros conſpeximus, lugubriter ejulantes, cœlumq; clamoribus ferientes. Quoniam autem nulla anchoras jaciendi ſeſe offerebat commoditas,nos receptâ in navim cymbâ,curſum verſus Auſtralem Occidentis plagam tenuimus,ut eò rectiùs circuitum Auſtralem poſſemus obtinere. Spe enim adhuc ducebamur bona, Continentem nos reperturos. Mare usque adeò ad littora hujus inſulæ veſaniebat,ut pedem in terram efferre haud quaquam liceret. Tota enim ex rupe nigra conſtabat, ſurſum vergens, ſolum erat nigrum,arboribus de Cocos,herbiſq; vireſcentibus tectum.

Vidimus etiam juxta littus in longitudinem extructas domunculas, quæ per dictum littus invicem junctæ magnum quendam vicum efficiebant. Terra non tam edita, quàm montana erat.

15. Sub Meridiem deprehendimus altitudinem 19 gr.12. min. cœloq; ſerenò,vento ſubſolano,verſus W.S.W.vela dabamus.

17. Flante Japyge curſum itidem verſus W.S.W.direximus:duobus extremis quadrantibus verſus W.N.W.contendimus. Hoc die conſtitutum, ut,quoniam annonæ parum ſupereſſet, loco jentaculi unicuíque dimidius Pintæ quadrans de vino Hiſpanico propinaretur.

18. Sub 16 g.5.m.altitudinis ventos occaſum verſus varios experti ſumus. Hoc die coacto magno conſilio,per Navarchum noſtrum Guilielmum Cornelium Schouten in medium allatum ac propoſitum eſt: Quamvis ultra 1600.leucas ab ora Peruana & Chili fuerint provecti,ullas necdum ſe inſulas detexiſſe,neq; terram Auſtralē,ut quidem exiſtimaverint inveniſſe, nec ullam etiam deinceps terras novas cum fructu aliquo inveſtigandi ſpem affulgere:quāvis item multo jam tempore verſus occaſum vela direxerimus;parum inde ad nos emolumenti rediiſſe,quòd ſi vero ulteriùs pergamus,procul omni dubio nos ad Auſtrale Novæ Guineę latus propulſum iri:& cùm inde tranſitus verſus Meridiem,non pateat,(quod ſummè periculoſum maximéque incertum) metuendum,ne unà cum navi bonorum omnium jacturam facturi,ſeq; ipſos in certiſſimum vitæ periculum adducturi ſint. Fieri enim non poſſe, ut Orientem verſus iter remetiantur,cùm in hiſce locis ventus continuè ab Oriente inſurgat.

Adhæc,

Adhæc, quemadmodum ab annona ſatis tenuiter ſint inſtructi, ſic modum ſe videre nullum, quo commeatum denuò ſibi comparare poſſint. His de cauſis ſatius omnino fore, ut mutato curſu, ac Septentrionem verſus directio, ad Septentrionalem Novæ Guineæ oram contendant, indeq; porrò ad Moluccas inſulas tranſeant. Conſilium hoc in ſenatu nautico probè diſcuſſum, ac maturè ab uno quoque de eò deliberatum eſt.

Itaque cum firmis niti rationibus ipſaq; neceſſitas ita flagitare videretur, omnes unanimi conſenſu: Nequaquam ulteriùs in incertum verſus Meridionalem Novæ Guineæ oram progrediendum, ſed Septentrionem verſus vela faciendum, ſi fortè illac commodior ac tutior tranſitus reperiri poſſit. Decreto itaq; facto, curſus illico mutatus ac N. N. W. verſus inſtitutus eſt.

19. Spirante Noto, nos Septentrionem verſus ferebamur. A Meridie verſus O. N. O. 2. inſulas, octo leucis à nobis diſtinctas, proſpeximus, quę ad tormenti majoris ictum ab invicem diſtare videbantur.

Itaque ad Septentrionalem Orientis plagam inclinantes, cœlo ſereno, ſed debili vento ad dictas inſulas progrediebamur.

20. Ventus naſcebatur N. N. O. nos omni conatu ad terram appellere ſtudebamus.

21. Aura tenuis verſus Ortum ſubinde vela ventilabat: cumq; unam circiter leucam à terra abeſſemus, 20. Canoæ ad navim noſtram adproperarunt, quos ſumma humanitate ac benevolentia proſecuti ſumus: verum unus ex iis Aſſagaiam ſeu clavam ligneam antrorſum acuminatam manu volvens, uni ex noſtris alta voce, quod & in cœteris inſulis factum, acclamans plagam minabatur. Nos illud ſignum interpretati, quo reliqui ad nos obruendos concitarentur; ſtatim duo majora tormenta in illos everberavimus, ac ſubinde repetitis duarum Muſquettarum ictibus duos lethaliter ſauciavimus, quod videntes cæteri in fugam acti, induſium, quod ambulacro detractum ſurripuerāt, in mare projecerunt. Poſtea quædam ex iſtis Canois reliquis præſidentiores propiùs ad navem noſtram redierunt. Noſtri autem cùm terram propiùs delati, nihilominus fundum offenderent nullum, cymbam in mare demiſerunt, 8. muſquettariis inſtructam, verùm nec illa fundum reperire potuit. In reditu autem 6. aut 7. Canoæ illam invadere conatæ ſunt: qui enim in iis erant, in cymbam inſultaturi, ac arma noſtris detracturi videbantur. Quare coacti diſploſis muſquettis, tantam inter barbaros ediderunt ſtragem, ut ſex trucidatis, complures lethaliter ſauciarentur. Nam cùm ad quandam Canoam regrederentur, nihil in ea præterquam viri cadauer mortuum offenderunt. Hoc in aquas abjecto, Canoam ad navem protraxerunt, in qua clavam cum oblongo quodam baculo inſtar dimidiæ lanceæ repererunt. Sub noctem ad ſuos re infecta redierunt: ita iſta nocte, cum fundum explorare non liceret, huc illúcque fluctuantes, terram legimus.

22. Omni operâ ad terram eniti contendimus, cumq; illi quàm proximè ſucceſſiſſemus, cymbam noſtram ad littus contatum amandavimus, quæ fundum ſcopuloſum 50. orgyiarum, ad tormenti majoris jactum reperit, qui quidem fundus ad 30. & 35. orgyias aſſurgebat. Nos donec commodior offerretur locus, ad 35. orgyias fundo ſcopuloſo anchoras excuſſimus. Nauarchus noſter unà cum cymba ac ſcapha provectus, ut omnia probè perluſtraret, locum ſubducendis navibus commodiſſimum, haud procul à navi noſtra in ſinu quodam ſecundùm aquæ dulcis fluvium ſitum invenit. Nos quàm primùm levatis anchoris eò perreximus, ſed vento contrario retro acti ſinum quidem

ſubire non potuimus, interim ad lapidis jactum à terra in vado quodam ad 9. orgyias projectis anchoris, navim quatuor funibus alligavimus. Erat hic aquæ dulcis fluvius à montibus deſcendens, & in mare ſeſe exonerans. Ex adverſo hujus fluvii navis noſtra ſubſederat, ut ſive aquatum, ſive res alias veſtigatum irent noſtri, ſive barbari aliquod ipſis negocium facturi viderentur, omnem ab illis injuriam tormentis majoribus poſſemus prohibere.

Eâdem adhuc die complures Canoæ ad navem noſtram, quæ partim nuces de Cocos, ac radices d'Ubas, partim porcellum vivum, & duos in craticula toſtos advehebant: nos iſtæc omnia vilis precii cultellis, pauxillo coralliorum clavorumq; addito commutavimus. Barbari hi furtis quoque plus nimio ſunt aſſueti, interim natatores & mergi ſunt eximii, quemadmodum & illi in ſuprà commemoratis inſulis. Domunculæ eorum longiùs ſecundum fluminis ripam protendebantur, ex arborum foliis in orbem ovali formâ ſtructæ, ſuperiùs acuminatæ, ut aqua pluvialis eò faciliùs poſſit defluere; amplæ in orbem erant 25. altæ 10. aut 12. pedes, unà cum foramine quodam, per quod caput incurvantibus in ædes patet introitus.

Nihil præter herbas ſole exſiccatas, fœno non diſſimiles, quibus indormiunt, item hamatam virgam unam atque alteram, & clavam ligneam in unaquaque domo erat cernere. Hæc omnis tam divitum, imò ipſius Primatis ſeu Regis, quàm pauperum eſt ſupellex.

23 Etiamnum complures nuces de Cocos & radices d'Ubas permutavimus, quæ Canois ad noſtram navem deferebantur. Eodem die ingens barbarorum in litore conſpiciebatur numerus, qui, ut opinabamur, ex omnibus Inſulæ oris eò confluxerant, & ad navis noſtræ intuitum mirum in modum obſtupeſcebant.

24. Arius Claſon, Reinhardus Symonis Snoek Aſſiſtens, cum Camerario, Cornelio Schouten obſides in terram miſſi ſunt, ut cum incolis familiaritatem contraherent: nos è contra ſex iſtius gentis proceres in navem recepimus, quibus omnem benevolentiam exhibuimus, potum, cibum aliaq; honeſtatis officia ipſis deferentes. Idem noſtris apud Barbaros obtigit, qui ſollicitè, quid deſiderarent, interrogantes, nuces de Cocos, & radices d'Ubas in cibum, aquam verò recentem in potum ipſis obtulerunt. Rex ſummo honore nos affecit, ac quatuor porcellos dono nobis obtulit. Nautæ noſtri eo die quinque vaſa aquâ recenti, bona cum incolarum venia complerunt.

Si quis ex barbaris ad ſcapham noſtram appropinquare vellet, vel ipſe Rex eum repellebat, aut per ſatellites ſuos prohibebat. Magna enim ejus apud ſubditos eſt authoritas.

Cùm enim gladius, ſeu enſis falcatus nobis eſſet ſurreptus, nosq; id ad miniſtros regios detuliſſemus: Rex ut ablatum reſtitueretur demandavit. Inquiſitione facta, is qui gladium abſtulerat, detectus, ac licet bonam viæ partem jam profugerat, retractus ac coram omnibus productus eſt. Gladius ad pedes noſtros reſtitutus, ipſe verò fuſtibus verberatus eſt. Ac digitis jugulo admotis ſignificarunt, ſi res illa ad Herico (ſic regem vocant) fuiſſet delata omnino capite ipſi luendum fuiſſe. Ab iſto tempore, neq; ſolo, neq; ſalo, aut ulla alia in re fraudem nobis fieri comperimus: imò piſces à nobis captos vel attingere, unicuiq; nefas erat. Tormenta vehemēter metuunt: quoties enim muſquettam diſplodebamus, illi tremebundi fugam capeſſebant: majorem verò ipſis incuſſimus metum, cùm majora etiam tormenta à nobis exonerari poſſe diceremus: Periculum ejus rei fieri cùm aliquando Rex deſideraret, alacriter diſploſo tormento, non ſolum ſubditis ter-

tos terrorem & pallorem injecimus,ſed ipſos quoque Reges, quorum duo Commiſſario noſtro aſſidebant,licet ab illo nullum ſubeſſe periculum monerentur, tantoperè exterruimus,ut nullo modo retineri poſſent,ſed confeſtim quaſi in furorem acti,ſolo relicto Commiſſario, in ſylvas ſeſe abderent: Mox reverſi ægrè animum recolligere potuerunt.

25. Arius Claſon, Nicolaus Janſon & Daniel Marius, in terram exſcenderunt,ut porcellos permutarent, quos tamen ab incolis haud potuerunt obtinere. Rex certis quibuſdam ceremoniis , quas quotieſcunque in terram progrederemur , ſolebat uſurpare , omnem nobis exhibuit benevolentiam , quod ipſi viciſſim à nobis eſt præſtitum.

26. Mercatores noſtri Jacobus Marius , & Arius Claſon denuò in terram profecti porcellos ab incolis , quòd iis ipſi opus haberent, impetrare haud potuerunt.

Nihil enim,quo vitam ſuſtentarent,præter radices d' Ubas, nuces de Cocos, paucos porcellos,& Bananarum paululum ipſis erat reliquum. Cæterùm ſummâ cum benevolentia,ac ſingulari reverentia hoc in loco excepti ſunt.Storeas enim pedibus illorum ſubſternebant: Rex,ac Prorex ejus filius coronas capiti ſuo detractas, unam Ario Claſon,alteram Jacobo Mario imponebant : qua de cauſa aliquot vilis precii merculas Jacobus Marius ipſis dono obtulit, de quibus admodum gaviſi ſunt. Coronæ iſtæ ex parvis, longis ac candidis avium plumis erant confectæ, quæ deſuper ſubtusq; parvis, viridibus, ac rubris plumis diſtinguebantur.

Magna enim Pſittacorum ibi cernitur copia, ut & columbarum , quas magno in precio habent. Aulici enim & Conſiliarii regis plerumque unam bacillo inſidentem geſtant.

Columbæ iſtæ ſuperiorem partem uſque ad alas ſunt candidæ, reliquam nigræ, ventrem plumis rubicundis variegatæ.Nos iſtum diem aquando,ac nucibus de Cocos, radicibus d' Ubas permutandis tranſegimus.

27. 28. diem aquæ in navim comportandæ impendimus. Navarchus ipſe Guilhelmus Schouten,& Arius Claſon cum tubarum clangore,quem Rex lubentiſſimè audiebat,in terram progreſſi,ægrè duos porcellos impetrarunt.

Rex alterius inſulæ eodem die hujus inſulæ regem inviſurus appulit: dona utrinque ſingulari cum reverentia, ac peregrinis ritibus ex radicibus aliíſque rebus oblata ſunt: ſub finem in querelas & lachrymas ſoluti, quod nobis opinionem attulit, Alterum illum Regem de navi noſtra intercipienda conſilium cœpiſſe, ſed ab hoc prohibitum fuiſſe,quod rem malè ipſi ceſſuram ſubvereretur.

Prorex ſeu filius Regis aliquando in navem noſtram ingreſſus , benignè à noſtris hominibus exceptus eſt: Ut verò vidit res varias,oculos animumq; explere mirando nequiit. Sub veſperam noſtri homines,miſti barbaris,qui ſupra modum erant lęti, choreas inſtituebant: Mirabantur autem,quòd adeò ſubmiſſos nos gereremus, ac tam familiariter cum ipſis verſaremur. Tandem liberrimè inter ipſos commeavimus,ac ſi domeſticam contraxiſſemus conſuetudinem.

29. Jacobus Marius mercator noſter,& Arius Claſſon Celocis mercator, cum Nicolao Janſon Præcone,ac nauclero uno in terram provecti Regionem perluſtrarunt: ac montem conſcendentes, quas iſta tellus fruges produceret, quæ ſoli eſſet fœcunditas, exquirere ſtuduerunt. Cum montis jugulum attigiſſent, Senior rex cum fratre interve-

niens comitem viæ ſeſe illis adjunxit. Nihil præter deſerta, ac valles imbrium vi denudatas conſpexerunt. Quoddam etiam coloris rubri genus repererunt, quo faciem & genas ipſorum mulieres inficere ſolent.

Cùm de via nos lapſos cernerent, ſignis quibuſdam, ut ad navim reverteremur, nos monuerunt, ac viam quandam compendiariam, juxta quam arbores de Cocos, nucum feraces, plantatæ erant, nobis commonſtrarunt. Hîc ſeſſum aliquandiu cepimus, interim Prorex faſciola pedes obligans ſumma celeritate, in proceram ac erectam arborem connititur, ac quaſi in momento decem decerpit nuces, quas ſingulari dexteritate, nobis eam admirantibus, bacillo ſeu ligno quodam norat aperire. Signis etiam quibuſdam indicabant, aliquoties bellum inter ſe ac alterius inſulæ incolas obortum fuiſſe: in quem finem etiam foramina, ac cavernas in montibus, ut & arbuſta quædam juxta viam mōſtrabant, ex quibus inſidias hoſtibus ſtruere, eosq; invadere ſueti eſſent. Maximoperè urgebant, ut ad alteram quoque inſulam navi noſtra pergentes, illis tormentorum fragore metum incuteremus: quod tamen, quia parum inde ad nos emolumenti rediturum videbatur, facere ſuperſedimus.

Circa meridiem noſtri homines ad navim reverſi, juniorem Regm ejuſque fratrem ſecum adduxerunt, qui nobiſcum pranſi ſunt. Cùm accubuiſſent, ſigno quodam illis inindicavimus, fore ut poſt biduum inde ſolveremus: quo uſque adeò lætatus junior de menſa proſiluit, atque ex ambulacro ſubditis ſuis, nos intra biduum diſceſſuros eſſe acclamavit. Vehementer enim nos metuebant, licet omnem illis præſtaremus benevolentiam, ac ne terram ipſorum expugnaremus ſummoperè verebantur. Idem nobis promiſit, ſiquidem intra biduum eſſemus diſceſſuri, decem ſe nobis porcellos, ac magnam copiam nucum de Cocos, quas illi Ali appellant, dono oblaturum. Cum ad diſceſſum nos accingeremus, ſupremus Inſulæ Rex, vir honorabilis ac quantivis precii, 60. circiter annorum ſedecim nobilibus ſtipatus ad navem venit.

Nos illum debita cùm reverentia excepimus. Quamprimùm pedem in navim intulit, in faciem prolapſus adoravit, poſtea in inferiora navis deductus, eaſdem preces repetiit. Ultra modum de rebus viſis obſtupeſcebat, quemadmodum & nos varios ipſius ritus cum admiratione intuebamur.

Nobiles ejus pedes noſtros exoſculabantur, ac manibus prenſantes capiti ac cervicibus ſuis imponebant, hac ratione ſubditos ſe nobis fore demonſtrantes.

Rex ſurſum deorſum, prorſum retrorſum in navi ambulans, quaſi ex officio, omnia quàm diligentiſſimè perluſtravit: maximè tormentum illud majus, cujus ſonum, cùm ante biduum in honorem ejus diſploderetur, audiverat, eſt admiratus.

Cùm ad placitum navem eſſet contemplatus, ad ſuos in terram reverſurus, ſumma cum reverentia à nobis diſceſſit. Commiſſarii noſtri eum in terram uſque ad Belay ſeu domum regalem, quam plerumque incolit, deduxerunt, inde comitati juniore Rege ſub veſperam ad navem redierunt. Sub noctem commiſſarius noſter ad lunæ ſplendorem piſcatum egreſſus, cum aliquam piſcium cepiſſent copiam, ad Regem perrexit, ubi agmen pulcherrimarum puellarum, quæ planè erant nudæ, offendit: hæ coram Rege choreas ducebant, una crucem quandam ligneam inſtar pompæ ludibunda pulſabat, ad cujus ſonum modulumq; cœteræ quàm artificioſiſſimè & dexterrimè ſaltabant. Noſtri certè hanc gratiam ac venuſtatem in barbaris abundè mirati, ſub multam noctem primùm ad navem redierunt.

30. Rex manè duos porcellos nobis miſit. Eodem die alterius inſulæ Rex, hunc inviſurus

viſurus advenit adducens ſecum ſedecim porcellos, ac 300. barbaros, umbilico tenus herba, quadam viridi ſuccinctos. Ut primum appropinquare cœpit alter ille Rex, hujus inſulæ Rex è lõginquo miris geſticulationibus honorem ac reverentiam ipſi habuit, ſeſe incurvando, ac in faciem prolabendo, ut planè eum adorare altoq; edito clamore rem maximè ſeriam agere videretur. Alter Rex illi obviam procedens, ſimiliter omnem illi honorem ac reverentiam iiſdem repetitis ceremoniis detulit. Hoc facto, tandem erecti, unâ ad palatium Regis ſeſſum capturi ſe contulerunt, quo ultra 900. Barbari confluxerant. Poſtquam conceſſum eſt, denuò adorationes ſuas conſueto more exorſi, capitibus pendulis, & ad terram ferè inclinatis, manibus ſimul plaudebant, atque ita mirum nobis exhibebant ſpectaculum. A meridie, cùm ante meridiem Commiſſarius noſter Arius Claſzon in terram prodiiſſet, Jacobus Marius, & Nicolaus Janſon Præco eum quæſitum miſſi, quatuor tubicines unà cum tympanotriba ſecum ad duos illos reges adduxerunt: ac unâ eademq; vice ſimul omnes inflantes tubas, tympanumq; pulſantes, utrumque regem, qui quam proximè ipſis aſſederant, ſingulari lætitia perfuderunt. His peractis quædam Barbarorum turma ex minori inſula quàm proximè Regem conceſſit: hi bonam iſtius herbæ viridis, qua trecentos illos viros præcinctos fuiſſe ſuprà diximus, copiam afferentes, illam dentibus cœperunt maſticare, eamq; probè comminutam ex ore in Catinum ligneum exſpuerunt: ubi bonam jam partem iſtius herbæ dentibus concidiſſent, aquam ſuperfuderunt, quam piſtillo probè agitatam excolantes poſtea Regibus in potum propinarunt, qui cum nobilibus ſui inſtar malvatici vini illud delibarũt: Noſtris quoq; hominibus ſuavem hunc potum, tanquam rarũ ac delicatum quid deguſtandum obtulerunt, verùm mirabilis miſturæ intuitus, omnem illis ſitim facilè reſtinxerat. Appoſuerant etiam toſtas radices d' Ubas magnâ copiâ, & ſedecim porcellos, ex quibus omaſum tantummodò eximunt, poſtea illotos integroſq; torrefaciunt; inſerunt plerumq; candentes lapides, ut interiores partes torreantur rectiùs; exteriùs ſetas leviter amburunt. Hæc apud illos optima carnes uſtulandi ratio: quas poſtmodò avidè vorant. Ventriculo enim tali ſunt prædıti, ut ſubcrudas iſtas carnes faciliùs poſſit concoquere, quàm noſtri cibos optimè præparantos.

Populus iſte magiſtratum ſuum magno honore, debitaq; reverentia proſequitur. Quemcunq; enim regi ſuo, quem ſuâ linguâ Herico vocant, apponerent cibum, eum in capita ſublatum, flexis humi genubus, coram Rege ſtatuebant. Ex 16. iſtis porculis, quilibet Rex unum honoris ergò nobis obtulit. Hos primũ ſupra capita ſua elevabant, poſtea genua incurvantes magna cùm reverentia ad pedes noſtrorum hominum deponebant. Undecim præterea minores porcellos, & aliquos mediocris ſtaturæ nobis donarũt: quibus nos viciſſim tres pelves cupreas, 4. cultros 12. veteres clavos, & coralliorum paululũ repoſuimus, quę omnia illi hilari fronte optimam in partem acceperunt. Noſtri homines convivii & colloquii hujus regalis non ſine delectatione ac vehementi admiratione ſpectatores fuerunt: ſub veſperam autem ad navem iterum ſe contulerunt.

31. Summo mane duarum iſtarum inſularum Reges cum nobilium comitatu ad navem noſtram venerunt. Præcipui inter aulicos proceres folia Cocorum virentia de collo in ſignum pacis ſuſpenderant. Nos illos, eadem, qũa erga nos uſi fuerant, reverentia comiter exceptos in conclave, ac univerſam navem deduximus. Omnibus jam perluſtratis, pro honorario ſex adhuc porcellos nobis donarũt. Hos ſingulatim ipſi Reges

ſupra caput elevatos, quàm humillimè capite terram verſus inclinato ad pedes noſtros demiſerunt.

Nos illos ex medio removendos juſſimus, poſtea Regibus in conclave noſtrum iterùm deductis munuſcula quædam exhibere ſtuduimus, duas nimirum Coralliorum ſeries, & unicuiq; regi duos cultellos, ſex clavos: His acceptis amicè admodum nobis valedicentes in terram regreſſi ſunt. Mercatorem noſtrum Jacobum Marium ſecum in littus abduxerant, cui tres adhuc porcellos donarunt, quos ſecum in navim retulit. Poſtea ad vela facienda, magno cum incolarum gaudio nos accinximus. Cùm enim diutiùs ibi eſſemus commorati, tandem ſubvereri viſi ſunt, ne ipſis trucidatis, dominium iſtarum regionum apprehenderemus. Homines ſunt robuſti, ac grandis ſtaturæ: vulgaris enim apud eos forma ad longiſſimam inter nos accedit: longiſſima longiſſimam apud nos longo intervallo poſt ſe relinquit. Fortes ſunt, ac bella corporis reliquorúmque membrorum ſtructura præditi, optimi curſores, natatores peritiſſimi. Coloris ſubrufi. In ornando capillitio ſuum cuiq; pulchrum videtur, maximeq; variant: quidam capillos in 4. 5. aut ſex nodos religant, alii, quod monſtroſum nobis maximè viſum eſt, ut porcelli ſetarum criſtas, ſic comam ad ulnæ quadrantem ſurſum erigunt. Rex floccum oblongum à ſiniſtra capitis parte, uſq; ad coxas, nodis quibuſdam interligatum demittebat. Nobiles ejus ab utroque capitis latere binos ejuſmodi floccos habent pendulos: nudi incedunt omnes tam viri, quàm fœminæ, tantummodò obſcœnas corporis partes exiguo quodam velo operti. Fœminæ illorum admodum ſunt deformes, ſive faciem, ſive reliquas corporis partes conſideres. Puſillæ ſunt, capillos quemadmodum viri apud nos ad cutim uſque reſecant, mammas oblongas inſtar ſacci coriacei ad ventrem uſque habent pendulas: ſupra modum ſunt laſcivæ ac corporis ſui uſuram omnibus inſpectantibus proſtituunt; à quo ne Rex quidem ipſe abhorret, ſub Storea quadam ſtrenuè venerem exercens. Obſervare haud licuit, an gens hæc Deum aliquem agnoſcat, an certa quadam religione colat, ſed tam juvenes quàm ſenes absque ullo Dei timore, quemadmodum in ſylvis deliteſcunt aves, vivere nobis viſi ſunt. Neque vendere: neque emere didicerunt: interdum dono res quaſdam nobis obtulerunt, ac dona à nobis receperunt: neque ſerunt, neque metunt, nec ullum opus manuum exercent. Tellus ſua ſponte omnia ad victum neceſſaria, utpote Cocos, Ubes, Bananas, aliosq; fructus producit: cùm æſtus marinus deferveſcit, plerumque fœminæ locis humilibus juxta maris littora piſces quærunt, aut pro lubitu hamis capiunt, quos poſtea crudos vorant: ut ad vivum expreſſam imaginem ætatis aureæ, de qua multa fabulantur Poëtæ, hîc intueri liceat. Nos ſub diſceſſum illi civitatis noſtræ nomen indidimus, illamq; *Hornæ inſulam* nuncupavimus: Stationem autem, in qua ab anchoris navis noſtra hæſerat, de navi noſtra *Concordiæ Stationem* appellavimus. Totum ferè diem ſolvendo, anchorisq; levandis impendimus.

Funis enim nauticus circa medium fundo acuminato illiſus diſrumpebatur, ut anchoram unam perderemus: cúmque aliam ex navi demergeremus, illa in retrahendo rupi afflicta, itidem corrupta eſt, ut ejus quoque jacturam fecerimus. Statio iſta in conſepto quodā ab auſtrali inſulæ latere erat conſtituta, ab uno latere habens vadū fundo ſabuloſo, ac mari defluo planè exſiccatū, ab altero terram continentē, ſed verſus littora in ſcopulos aſſurgentem. Nos ibi loco ad muſquettæ jactum à fluvio aquæ dulcis diſſito, fundo ad decem orgyias ſabuloſo, quatuor anchoras quatuor rudentibus ſuſpenſas excuſſera-

cuſſeramus: cùm tamen propiùs fluvium illum dulcem navem ſubducere abſque ullo periculo, nobis licuiſſet. Iſto quidem, quo ſubſtitimus loco, ægrè navem convertere potuimus, anguſtiâ præpediti. Sub Meridiem expanſis velis primùm quidem ad veſperam uſque verſus W. S. W. ut altum mare obtineremus, curſum direximus: poſtea verò Occidentem verſus, afflante Subſolano, contendimus, ſupra modum læti, quod inſulam reficiendis viribus uſque adeò commodam fuiſſemus nacti, in qua aquæ recentis, aliquot porcellorum, radicum d'Ubas, ac magna nucum de Cocos & Bananarum nobis oblata eſſet copia. Inſula iſta ſub altitudinis 14. grad. 56. minut. erat ſita.

Calendis Junii ſub 13. grad. 15. minut. altitudinis ſpirante Euro, verſus Septentrionem ferebamur. Inſequentibus diebus cum etiamnum ab Oriente naſceretur ventus, modò verſus N. N. W. modò verſus Occidentem, maximam tamen partem verſus W.N.W. quàm feliſſimè, ut plurimum, progrediebamur. Altitudo poli die decima quarta 3. erat grad. 45. minut. noſtrum verò iter vaſtis ab S. S O. inſurgentibus fluctibus, nunc verſus Occidentem, nunc S. S. W. dirigebatur. IUNIUS.

20. Japyx nos verſus Occidentem provehebat: Sub veſperam conſpecta terra ſtrictis velis eam noctem tranſegimus, conſtituti ſub grad. altitudinis 4. minut. 50.

21. Ventus Orientem verſus ingruebat, nos velis terram legimus, quæ admodum depreſſa erat: cumq; ad illam applicaremus, magnam ibi ſiccitatem, ac vada varia verſus Septentrionalem Occidentalis inſulæ plagam aſſurgentia offendimus.

Inſulæ tres aut quatuor erant, parvæ quidem, ſed arboribus plenæ. Continuò ad navem noſtram Canoæ duæ, ejuſdem cum præcedentibus ſtructuræ paulò tamen ampliores, quippe ſingulę 5. aut 6. viros capiebant, appulerunt: Homines prioribus non abſimiles, eodem etiam, ut nobis videbatur, utebantur ſermonis genere: Color magis ad nigredinem vergebat obſcœnas partes velo itidem obumbrabant: Cæterum arcum & ſagittas arma ſecum ferebant, qui quidem primi fuere arcus, quos in Auſtralis Oceani inſulis conſpeximus. Nos illis corallia aliquot & clavos donavimus, illi verò ſignis, ut magis ad Occidentem pergeremus, nos monebant: quòd inſula ibi, quam rex incoleret, reperiretur, omnium rerum copiâ refertiſſima. Itaq; verſus Occidentem proram convertimus, cùm loco etiam anchoris jaciendis commodo deſtitueremur. Inſula hæc verſus S. S. W. ſub 4 altitudinis grad. minut. 47. patebat.

22. Spirante vento O.S.O. navis verſus W.N.W. ſub elevatione grad. 4. 45. min. ferebatur. Toto iſto die ac nocte inſequente, cœlo ſereno, velis ſinuatis progredientes, duodecim parvas inſulas, invicem ſeſquileucæ ſpacio quàm arctiſſimè connexas aſpeximus, quæ verſus W. S. W. à nobis diſſitæ inter Auſtralem Orientis, & Septentrionalem Occidentis plagam protendebantur. Nos illas ad ſiniſtram rejectas quàm proximè prætervecti ſumus.

24. Ventus ab Auſtro ſpirabat, nos circa meridiem tres humiles inſulas verſus Auſtralem Occidentis plagam proſpeximus quæ virides planè, arborumque plenæ comparebant: duæ ex illis ad duas leucas in longitudinem prominebant: tertia minor erat: littora earum ex præduris rupibus exurgebant. Nos cùm commodus anchoris figendis locus haud pateret, illas *Inſulas virides* appellavimus Vidimus etiam elatam quandam inſulam ſeptem aut octo collibus diſtinctam, verſus Occidentalem Septentrionis oram à nobis diſſitam.

Itaque auroram præſtolantes iſta nocte hac illac, ultro citroque in mari fluitavimus.

25. Manè, cùm ad dictam inſulam acceſſus non pateret, verſus Auſtralem Occidentis plagam, aliam quandam mirabiliter editam proſpeximus. Itaque priori illa, quam, quòd die Sancti Johannis à nobis detecta eſſet, Inſulam Sancti Johannis appellavimus, relicta, ad hanc, quam extremum Novæ Guineæ terminum exiſtimabamus, plenis velis perreximus. Delati ad eam circa Meridiem littus ſpirante O. S. O. perſtrinximus, locum verò navi ſiſtendæ idoneum non reperimus. Cymbam quidem contatum miſimus, verùm hæc inter navem noſtram & Continentem ad littus uſque progreſſa, à duabus aut tribus Canois circumdata fuit. Vehebant iſtæ homines atri coloris, planè nudos, ac ne verenda quidem velatos qui fundis ſuis in noſtros hoſtili animo detonabant, ſed ad ſclopi auditum bombum, ſubitâ fugâ dilabebantur. Reverſa Cymba, fundo non comperto, retulit, gentem iſtam barbaram diverſo à prioribus uti idiomate.

Latus iſtius inſulæ, quod altum longúmq; , ac aſpectu non injucundum erat, prætervecti, terram hominum induſtriâ excultam deprehendimus.

Sub veſperam in anfractu quodam ſtationem nacti, ſolo inconvenienti ac lubrico ad 45. orgyias anchoras excuſſimus.

Eadem veſperâ barbari quidam Canois duabus vecti, colloqui nobiſcum voluerunt, ſed intelligere illos haud potuimus. Barbari totam illam noctem, paſſim in littore excitatis ignibus, excubias agebant: nos ad tormenti majoris jactum à terra ad fluvii cujuſdam deſcenſum ſubſtiteramus: Luna pleno micabat orbe, ventus à continente adſpirabat. Canoæ Barbarorum ad navis noſtræ tabulata progrediebantur, ex quibus illis, omnem declarantes benevolentiam, corallia quædam projecimus.

Signa quoque dedimus, ut Cocos, porcellos, boves, hædosq; , ſi quos haberent, nobis adveherent: verùm ut plurimùm circa navem noſtram vagati horrendos more ſuo edebant clamores. Certè Barbari, nigri, obſcœni, ac inciviles erant. Tellus eorum, juxta noſtrum computum, ab ora Peruana, 1840. circiter milliaria Germanica diſtabat.

26. Octo Prauwæ ſeu Canoæ ad navem noſtram appropinquabant, quarum pleræq; undecim viros capiebant, reliquæ 4. 5. 6. aut 7 Hi navem noſtram probè ſuo more armati, clavis, lapidibus, lanceis, fundis, undique cingebant: nos verò omnem illis benevolentiam exhibentes, & corallia aliasq; vilis precii merculas ipſis offerentes, ſignificavimus, ut ad terram regreſſi porcellos, capones, aliosq; fructus quos quidem in promptu haberent afferrent, verùm illi alia animo agitarunt conſilia: Jam enim hoſtili animo facto impetu in noſtros ingruentes, cùm clavis, tum fundis jam de victoria certi irruebant, ſed aliquot majora tormenta & muſquettas in ipſos evibrantes, decem aut duodecim ferè morte multavimus, reliquos tres in majori cymba dimiſimus, cæteris natando ſalutis viam ſibi aperientibus. Emiſsâ cum remis ſcaphâ illos inſequuti ex natatoribus quoſdam interfecimus, tres captivos lethaliter vulneratos cum quatuor Canois, quæ ad focum extruendum in particulas diſſectæ fiſſæq; , ad navem abduximus: ex his unus, vulneribus probè obligatis, nihilominus deceſſit.

Sub

Sub Meridiem cymba remis inſtructa cum duobus captivis littus raſit; captivi quidem cœteros inclamabant, ut porcellos, Bananas, nuces de Cocos adportarent. Una tantùm Canoa porcellum cum Bananarum corbe advehens ad navem acceſſit.

Nos unumquemque decem porcellis æſtimantes, virum, qui vulneratus erat, quod de ejus vita deſperaremus, in terram exportavimus. Homines hi naves utrinque perforatas habent, annulum iis inferentes, quod peregrinum certè nobis viſum eſt. Aliam ab hac majori, verſus Septentrionem proſpeximus inſulam.

27. Vaſa vacua recenti aquâ completum ivimus, unicum verò porcellum impetrantes, volucres quaſdam planè rubicundas conſpeximus.

28. Quædam Canoæ navi ſuccedentes nihil attulerunt, nec captivum recipere voluerunt, quem ea de cauſa in terram elatum dimiſimus: Nos *Papoos* illos eſſe exiſtimavimus, capillos enim ad vivum reſectos geſtabant, ac Betelam calci miſtam maſticabant. Noctu levatis anchoris vento leni curſum continuavimus.

29. Vento vario curſum verſus Septentrionalem Occidentis plagam, & N. N. W. dirigentes, matutino tempore malaciam cœlo ſereno experti ſumus. Terminum inſulæ, qui verſus W. N. W. & N. W. W. multis diſtinctis ſinibus porrigitur, quamvis quàm proximè littus præterveheremur, aſpicere non potuimus.

Eodem die tres etiamnum inſulas, verſus Septentrionem à majori iſthac inſula ad 3. circiter leucas diſſitas proſpeximus, verſati ſub poli elevatione gradus tres, minutas viginti.

30. die, cùm maris tranquillitas nos remoraretur, complures Canoæ barbaris nigris onuſtæ ad navim noſtram appropinquarunt, qui Aſſagajas ſeu jacula ſua circum caput vibrantes pacem noſtris offerebant. Nihil quidem iſti homines ſecum afferebant, ſed à nobis quàm plurimùm expetebant. Meliores ac honeſtatis magis ſtudioſi præcedentibus nobis viſi ſunt, foliis enim quibuſdam obſcœnas corporis partes obumbrabant, Canoæ etiam belliori forma conſtructæ erant, à prora puppíque diverſis imaginibus inſignitæ. Barbis ſingularem quandam ſuperbiam præ ſe ferunt, illas ſubinde, ut & capillos calce identidem perfricantes. Complures Cocorum in iſta inſula, ex qua Canoæ prodierant, conſpiciebantur arbores. Nullam verò nobis annonam attulerunt, qua quàm maximè indigebamus, cúmque ad veſperam uſque circa naves noſtras circumvagati eſſent, tandem ad terram redierunt.

Calendis Julii ſummo mane, mari tranquillo, flumine ſecundo feliciter progreſſi ad duas circiter leucas, aliam adhuc inſulam duas leucas à nobis & Continenti Novæ Guineæ diſſitam offendimus. Sumpto jentaculo 25. ex inſula iſta ad navem appulerunt Canoæ, viros vehentes probè armatos, qui iidem illi erant, qui pridiè tela & Aſſagajas circum caput vibrantes, quàm amiciſſimè nobiſcum vixerant. Iſta verò ad nos decipiendos techna erat excogitata, quemadmodum eventus poſtea docuit: Nec opinantes enim, mari tranquillo noſtros invadere in animum induxerant. JULIUS.

Duæ ex prora anchoræ, una alterâ elatior, inferius propendebant, his illi, cuilibet ſinguli inſidentes, manu remos quibus Canoas regunt, verſabant, ſpe ducti bona, navem hac ratione ad littus propelli poſſe: reliqui jam navi noſtræ imminebant, ut continuas agere excubias ipſa nos juberet neceſſitas. Tandem cominus nobiſcum congreſſi vibrare tela, fundiſque jaculari ſtrenuè cœperunt, ut unum etiam, quod quidem primùm toto itinere iſti obtigit, graviter ſauciarint. Cùm verò ſecundis avibus nos aggreſſi jámque triumphum canere ſibi viderentur, tormentum majus, ac muſquettas aliquot in ipſos diſploſimus, quo ictu duodecim tredecimve extincti, complures lethaliter vulnerati ſunt.

Barbaros in fugam verſos noſtri cymbâ ſunt inſequuti, ac Canoâ apprehensâ tres in illa viros apprehenderunt: uno, qui mortuus erat, in mare projecto, reliqui duo fugam adornarunt, verùm cùm alter globo petitus interiſſet, reliquus ſua ſponte quàm primùm ſe captivum tradidit. Erat floridæ ætatis adoleſcens, octodecim annorum, cui Moſis nomen, quo idem, qui ex noſtris vulneratus interierat, nuncupatus fuerat, indidimus. Panis, illorum ex arborum radicibus erat confectus. Nos vento ſecundo, cœlóque ſereno littus in longitudinem verſus W. N. W. & N. W. W. legimus.

2. Aſſecuti altitudinis gradum 3. minutias 12. vidimus loco depreſſo inſulam quandam humilem, in cujus fronte præruptus quidam mons aſſurgebat: nos ad eam blandâ aurâ provehebamur.

3. Aliam quandam elatam inſulam, 14. leucis à priori verſus Occidentem diſſitam proſpeximus, ſub elevatione grad. 2. 40. minut.

4. Cùm in ſupradictis quatuor inſulis occuparemur, vel 22. aut 23. alias conſpeximus, cùm majores, tum minores, tam elatas quàm humiles, quas exceptis duabus, quas ad ſiniſtram repoſuimus, ad dextram omnes prætervecti ſumus. Altera alteri imminebat ad ſeſquileucæ intervallum, quædam etiam ad tormenti majoris jactum invicem diſſita, ſub gradu altitudinis 2. circiter, minuutiis 25. Stationem inventuros nox obruit. Sub veſperam velum ex una harum inſularum elevatum proſpeximus, quod nocte impeditum ad navem noſtram pertingere haud potuit, manè autem ex manibus noſtris evaſit, quamvis quàm proximè illam attigiſſemus.

5. Flante Vulturno, & O. S. O. curſu autem verſus Auſtralem Occidendentis plagam directo, crebra fulmina ac pluvias ingentes, ſub 2. altitudinis gradu, minut. 56. experti ſumus.

6. Modò vehemens ventus nos proſequebatur, modò ventis deſtitutos pluviæ, fulgura & tonitrua obruebant. Ante meridiem excelſum quendam montem verſus Auſtralem Occidentis plagam conſpicati, eò velis contendimus. Navarchus noſter hanc Bandæ inſulam eſſe exiſtimabat, ob ſimilitudinem exactam, quâ *Goemenapi* Bandæ inſulæ montem locus iſte editus referebat: cùm verò accederemus propiùs ex tribus aut quatuor, aliis montibus, qui in Septentrionali latere, ab iſto monte ad 6. orgyias remoti prominebant, ſe opinione ſua falſum continuò animadvertit. A tergo montis cùm Orientem, tum Occidentem verſus complures conſpiciebantur terræ, in longitudinem uſque adeò porrectæ, ut neuter utriuſque lateris terminus oculis deprehendi poſſet: unum latus edito loco erat ſitum, alterum humile ac depreſſum, verſus O. S. O. vergebat.

Itaq;

Itaq; hanc Novam Guineam eſſe rati, quòd nocte præpediremur, ultro citroq; diem expectantes navigavimus.

7. Manè, antequam illuceſceret, ad prædictum altum montem proram vertimus. Inſula hæc flammivoma erat, flammæ enim fumúsque in altum elevabantur, quamobrem Vulcano illam conſecravimus, de ejus nomine eam Vulcaniam appellantes. Vulturnus tempeſtate commoda curſum noſtrum promovebat. Inſula iſthæc probè exculta, atque arboribus de Cocos referta erat. Incolæ quàm proximè navi noſtræ canois ſuis ſuccedebant, verùm intelligi neque à nobis, neque à Nigro noſtro Moyſe poterant.

Nudi itidem incedebant omnes, pudenda tantùm exiguo quodam velo tecti: quidam promiſſos, alii curtos geſtabant capillos. Fundum nuſpiam comperientes, anchoras demergere haud potuimus. Verſus N. N. W. alias adhuc terras conſpeximus, nos verſus W.N.W. inſtituto curſu prope planum quendam angulum ſub veſperam conſedimus: ac contractis velis navem eâ nocte fluctuare permiſimus. Varii coloris utpote viridis, candidi, rufiq; aqua nobis hic offerebatur, unde diverſorum fluviorum confluxum iſthic reperiri collegimus: aqua enim iſta, marinâ longè erat dulcior. Illi complures arbores, folia, ac rami innatabant, quibus interdum volucres aut cancri fluviatiles adhærebant.

8. Venti ſpirabant varii ac mutabiles. Nos verſus W.S.W. & W.N.W. cœlo ſereno, ventoq; idoneo progreſſi, ad dextrum navis latus altam quandam inſulam, ad ſiniſtrum planitiem æqualiter elevatam proſpeximus: ad quam navi ſub veſperam applicantes, fundo ſabuloſo ad 70. orgyias, loco ad tormenti majoris jactum à littore remoto, anchoras jecimus. Continuò Canoæ quædam ad navem adpulerunt, ſecum monſtroſæ formæ barbaros advehentes, qui omnes erant Papoos, curtos criſpoſq; alentes capillos, ac ornatus gratia annulos quoſdam naribus auriculiſq; inſerentes: quidam etiam plumis capita aut brachia reveſtiunt, aut porcellorum dentes à collo, & ſub pectore recondunt. Betelam etiam maſticabant, interim variis vitiis obnoxii videbantur, hic enim erat luſcus, ille varicoſus, tertius brachium habebat craſſius, alii aliis urgebantur nævis: ut facilè inde eſſet colligere, locum iſtum minùs ſalutarem eſſe, cum ædificia illorum palis in terram defixis, ad octo, vel novem pedes elevatis eſſent ſuperſtructa. Nos ibi 3. altitudinis gradus, 43. minut. animadvertimus, quoddam etiam minuti Zinziberis genus ibidem reperimus.

9. Manè, cùm ab anchoris hæreremus, cymba noſtra commodiorem ſtatuendæ navi locum quæſitura prodiit, ac reverſa, ſinum quendam ſe offendiſſe retulit, quò properantes, fundum ex ſabulo & argilla probè inter ſe compactum, ad 26. orgyias deprehendimus. Non procul inde duo parvi conſpiciebantur pagi, ex quibus complures Canoæ ad nos commeabant. Hæ nuces de Cocos advehebant, quas tamen tanti æſtimarunt, ut pro quatuor nucibus faſciculum telæ lineæ, cujus admodum erant avidi, exigerent. Porcellos etiam quoſdam ſecum attulerant, quibus etiam nimium ſtatuebant precium. Licet autem illos, ut alias fruges atque annonam, qua maximè laboraremus, nobis afferrent, ſignis ſubinde moneremus, nihil tamen ab iis impetrare potuimus. Eodem die alia victus ratio inter nautas conſtituta eſt: unicuique in ſeptimanam quinque libræ panis, & olei olivarum unius pintæ ſeſquiquarta: in diem verò vini Hiſpanici quadrans Pintæ cum dimidio, atque exiguus Aquæ Vitę hauſtulus

ſunt

ſunt aſſignata. Juſculenta enim, ut fabæ, piſa, hordeum ex ſiccatum, unà cum omni carne, larido ac piſcibus jam abſumpta erant omnia; nec cuiquam conſtabat, quò in loco verſaremus, propiúsne an longiùs ab Indiæ inſulis eſſemus remoti. Certi enim nihil de locis illis, quos quotidie prætervehebamur, adfirmare fas erat, ſola opinione hanc novæ Guineæ oram præconcipiebamus. Mappæ enim nauticæ, quibus hactenus uſi fueramus, nullam iſtarum regionum, quas deteximus, commonſtrabant. Sub veſperam immenſis pluviis, fulgetris ac tonitruis expoſiti fuimus, quæ totam noctem cœlo obſcuro deſæviebant.

10. Iterùm viginti Canoæ ad navem venerunt, viris, fœminis, infantibus onuſtæ. Nudi incedebant omnes, pudenda tantùm obnubentes: Nihil autem, quod precii alicujus eſſet, ſecum attulerunt.

11. Manè erectis velis denuò verſus W. N. W. iter arripuimus, regionem à qua ad tres, duas, interdum unam & dimidiam leucam aberamus, in conſpectu retinentes; ſub meridiem elatum quoddam Promontorium ſuperavimus. Hæc Novæ Guineæ regio maximam partem verſus W. N. W. porrigitur, interdum tamen magis ad Occidentem, interdum ad Septentrionem magis vergit.

12. Etiamnum verſus W. N. W. latera iſtius regionis perſtrinximus, tempeſtate uſi commoda, Sole admodum urente. Sub meridiem altitudinis gradum ſecundum, quinquageſimam octavam minut. attigimus. Æſtus maris iter noſtrum promovens verſus Occidentem propulit, quemadmodum in omnibus Novæ Guineæ littoribus fieri conſuevit.

13. & 14. Ad dicta littora applicantes, terram modò elatam, modò depreſſam animadvertimus.

15. Vento curſúque eodem, quo antea, longiùs à regione iſta depulſi, tempeſtate commoda ſub Meridiem ad duas humiles inſulas, hominibus habitatas, à Continenti ad leucæ dimidium remotas, ac Arboribus de Cocos repletas appulimus. Fundum nacti idoneum, ad quadraginta, triginta, viginti quinque, & viginti, imò ſex & quinque orgyias, tandem loco argilloſo ad tredecim orgyias anchoras depreſſimus. Navarchus unà cum ſcapha, cymbâque ad littora provectus aſſcenſum in terram moliebatur, aliquot nuces de Cocos, quæ magnâ copiâ ibi proveniunt, collecturus. Ut primùm verò pedem in terram extulerunt, Nigritæ condenſato agmine in nemore quodam accuratas agebant excubias, ac furioſis ſimiles ingentem telorum evomebant imbrem, quibus 16. ex noſtris graviter vulnerati, unus brachium, alter tibias, hic manus, ille jugulum ſibi petitum quiritabatur. Noſtri in medium illorum muſquettas, ac tormenta lapidea evibrantes, tandem tamen Indianorum telis, quæ furioſè in noſtros excutiebant, obruti pedem à littore retrahere ſunt coacti. Altitudinem hîc unius gradus, 56. minut. obſervavimus.

16. Manè navem intra duas illas inſulas propulimus, anchoras in commoda quadam ſtatione ad 9. orgyias demergentes. A meridie noſtri ſcaphâ cymbâq; Cocos quæſitum ad minorem inſulã progreſſi, 2. aut 3. Nigritarũ caſas ſubjecto igni exuſſerũt. Quod qui in altera inſula erant, conſpicientes, horrendũ debacchantes vociferabãtur, interim

pe-

pedem nobiſcum conferre haud audebant. Tormentis enim noſtris majoribus cùm totam illam littoris oram, tum ſylvulam, in qua latitabant Barbari, perſtringebamus, ut globi hinc inde per ſylvulam magno ſtrepitu pervolitarent, metuq; exterriti Barbari, ac in fugam dilapſi comparere nuſpiam auderent. Sub veſperam noſtri ad navem reverſi, tantam nucum de Cocos copiam ſecum attulerunt, ut portione æquali cuilibet in navi tres nuces obvenirent. Eadem veſperâ Barbarus quidam pacem efflagitans ad navem venit.

Is pileum, qui uni ex nautis noſtris in priori conflictu in undas ex ſcapha deciderat, ſecum afferebat. Nudi incedunt omnes, ne pudenda quidem obvelantes.

17. Manè duæ aut tres Canoæ nucibus onuſtæ ad navem noſtram pervenerunt: Barbari, qui in iis erant, ſecundo alveo Cocos in undas projiciebant, ſignis demonſtrantes, ut illas petitum veniremus: atque hac ratione noſtram captantes benevolentiam. Nos contra, ut navem noſtram conſcenderent, illos monuimus. Tandem animoſiores redditi, quam proximè navi noſtræ ſucceſſerunt, ac tantam nucum de Cocos, & Bananarum copiam, quantam expetebamus, nobis obtulerunt. Nos illas cordulis ex illorum Canois ſurſum attractas in navis noſtræ ambulacro exoneravimus, ac viciſſim illos aliquot veteribus clavis, ferruginoſis cultris, coralliisq; donavimus. Adferebant quoque nobis Zingiberis recentis ſegmina, & parvas quaſdam radices, quibus Croci defectum ſupplent. Sagittas quoque ſuas, atque arcus nobiſcum permutabant, ut ſub finem omnis nobis ab illis exhiberetur benevolentia.

18. Nos etiamnum Bananas & Cocos, & bonam Caſſevyæ, ac Papedæ, quales etiam in India Orientali reperiuntur, commudo accepimus copiam. Conſpeximus ibidem grandes quoſdam urceos, quos ab Hiſpanis eò delatos exiſtimavimus. Homines non uſque adeò, ſicut præcedentibus obtigit, ad navis noſtræ conſpectam molem, in admirationem ac ſtuporem rapiebantur: jam enim antea tormentorum cognorant fulmina, ac inſulam magis ad ortum proſpectantem, quam ipſi incolebant, Moam appellabant: alteram, quæ proximè adjacebat, Inſou: extremam, quæ alta quædam erat inſula, ac quinque aut 6. leucas à Nova Guinea diſtabat, *Arimoam* nuncupabant.

19. Noſtri ad grandiorem illam inſulam piſcatum progreſſi ſunt. Nigri omnem illis præſtabant benevolentiam, in attrahendis filis eos adjuvantes, quantámque vellent Cocorum copiam dono ipſis offerentes. Nos quàm plurimas Prawas, ex aliis quibuſdam inſulis magis ad Orientem vergentibus, adverſum nos magno conatu tendere conſpicati, cùm quædam ex illis inſignem molem præ ſe ferrent, continuo ſignum receptui noſtris piſcatoribus dedimus. Nigri iſti, ut in peregrinas iſtas Prawas tormenta ſtringeremus, nos monebant, quod noſtri, ſiquidem primi ab illis læſi fuiſſent, omnino ſe facturos reſpondebant. Illi amicabiliter ad navem noſtram appellentes, tantum Cocorum ac Bananarum nobis obtulerunt numerum, ut quilibet in navi nuces 50. duos Bananarum corbes eo die lucraretur. Populus hic panis loco, Caſſavia veſcitur, quæ tamen cum illa, quæ in Indiis Occidentalibus provenit, comparari poteſt: rotundas etiam placentas ex ea conficiunt.

20. Manè, poſteaquam bonam adhuc annonæ partem comportaſſemus, illinc

diſceſſimus Monebant interim, ſiquidem diutiùs ibidem ſubſtituri eſſemus, plura ſe-nobis indies advecturos.

21. Terram legentes verſus W. N. W. progrediebamur, ſub Meridiem altitudinem nacti unius gradus, minutarum treſdecim, conſpeximus quaſdam inſulas, ad quas ſecundo alveo delati, circa meridiem applicuimus, anchoris ad tredecim orgyias depreſſis. Sub veſperam pluvias, tonitrua, ac coruſcationes crebras experti ſumus.

23. Levatis anchoris manè cœlo ſereno ventóque commodo paulò longiùs à littore remoti, ſex majores Canoas nos à tergo inſequentes, licet in terra vidiſſemus neminem, conſpeximus. Hæ piſces induratos, Praſimis non abſimiles, item Cocos, Bananas, Tobackum, & minores quoſdam fructus, prunorum inſtar, advehebant.

Quidam etiam Nigri ex aliis inſulis annonam nobis adportarunt. Hi Porcellanarum Chinenſium quoddam habebant genus: nos duas ſcultellas ab ipſis impetravimus, quod ſuſpicionem nobis attulit, jam alias ante noſtram illic Chriſtianorum naves appuliſſe, neque enim ſtructuram navis noſtræ vehementer admirabantur. Diverſa hæc à præcedentibus erat natio, coloris ſubrufi, ſtaturæ grandioris, quidam capillos promittebant, alii aliquouſque decurtarant: arcum & ſagittas tractare gnari, illorum bonam partem nobiſcum commutabant. Admodum avidè minutis coralliis ac ferramentis inhiabant: annulos autem vitreos, varii coloris, virides, cœruleos, candidos auriculis inſertos ornatus gratiâ ſecum ferebant, quos ab Hiſpanis accepiſſe videbantur.

24. Dimidium gradum Altitudinis nacti, tenui vento verſus Septentrionalem Occidentis oram, mox etiam verſus W. S. W. juxta amœnam ac ſpacioſam quandam inſulam ferebamur, quæ planè viridis aſpectu jucundam ſeſe offerebat: nos illam de nomine Navarchi noſtri, Guilhelmi Schouten inſulam, quemadmodum angulum Occidentalem Caput bonæ Spei nuncupavimus.

25. Ad ſiniſtram complures regiones partim mirum in modum elevatas, partim maximè humiles ac depreſſas verſus S. S. W. proſpeximus.

26. Alias tres adhuc inſulas deteximus, littus verò etiamnum verſus Septentrionalem Occidentis oram, & W. N. W. porrigebatur.

27. Ab Auſtrali lineæ latere ſub altitudine 29. minut. conſtituti, etiamnum varias regiones verſus Meridiem, altas, humiles deprehendimus, quo curſu verſus W. N. W. directo navigavimus.

28. & 29. Tempeſtas erat varia, nocte verò inter utrumque diem media terræ motus uſque adeò navem noſtram quaſſauit, ut omnes nautæ ex caſulis ſuis attoniti proſilientes navim ſcopulis illiſam exiſtimarent. Sæpius fundum contati, nunquam reperire potuimus.

30. Grandem quendam ſinum ingreſſi, ut terrâ quáſi cincti videremur, omni ope exitum quendam verſus Meridiem indagare ſtuduimus, ſed fruſtrà, ac proinde navim verſus Septentrionem retrò agere coacti fuimus. Tonitrua ac fulgura eo die tam horribiliter increpuerunt, ut navis noſtra concuſſa labefactari, interdum planè igneſcere videretur, quod non exiguum terrorem ac metum nobis incuſſit.

Pau-

Paulò poſt denſiſſimæ pluviæ nos adobruerunt, ut ſimilies earum nunquam hactenus experti fuerimus.

31. Quaſi in ſacco quodam concluſi, terras hinc inde invicem quàm proximè adhærentes conſpeximus. Itaque verſus Septentrionem mutato curſu ſecunda vice æquinoctialem lineam trajecimus. Veſperi cùm continentem quàm proximè attigiſſemus, ad duodecim orgyias fundo ſabuloſo impactis anchoris, ad tormenti majoris jactum ab inſulæ ripa, quæ Continenti ferè annexa erat, ſubſedimus: ſed neque hominem, neque ullum alium ſonum hîc comperimus.

Calendis Auguſti difficulter extractis anchoris, quòd ſub rupe aliqua adhæſiſſent, cùm vi illas in altum attrahere conaremur, circa medium unà ejus ala diſrupta periit. *AVGVSTVS.*

Altitudo poli quindecim minutiarum verſus Septentrionem à linea aſſurgebat. Sub veſperam æſtus maris vehemens quàm proximè terram nos propulit, ideóque, quòd mare etiam eſſet tranquillum, fundo inæquali, ſatíſque profundo anchoras excuſſimus.

2. Malaciâ obortâ, à fluctibus marinis verſus W. N. W. pluviis probè madidi vehebamur.

3. Eodem, quo antea curſu, mari etiamnum tranquillo, poſt ſumptum prandium, vadum quoddam tanto intervallo in mare protenſum invenimus, ut terram oculis uſurpare vix liceret, quibuſdam enim in locis fundus ſabuloſus ad quadraginta, aliis ad viginti, quindecim, & duodecim orgyias patebat. Nos anchoras ad duodecim orgyias depreſſimus, quòd jam nocteſceret, ac Navarchus noſter undarum fluxum exactiùs obſervare cuperet, quas poſtea verſus S. S. W. ferri deprehendit.

Eodem die altitudinem 45. minutiarum à Septentrionali lineæ latere emenſi ſumus. Vidimus etiam Balænas, ac Natrices quaſdam. Ex deprehenſa autem altitudine, nos in extremo Nouæ Guineæ littore verſari collegimus, cum ſecundùm iſtud littus ad 280. leucas eſſemus provecti.

4. Vento vario verſus Auſtralem Occidentis oram progreſſi, continuis pluviis, & nubilis obnoxii fuimus, alveus autem aquæ magno impetu verſus Occidentem rapiebatur. Iſto ſeptem aut octo inſulas videre nobis viſi ſumus, itaque noctem inſequentem ultro citróque fluitando tranſegimus, ne in terram navis impingeret, veriti.

5. Iterùm tranquillo mari fluctuandum nobis erat. Tandem ventus naſcebatur varius, cúmque verſus Auſtrum, & Meridionalem Occidentis plagam cœlo pluvioſo, ventoq; exili eoq; contrario pergeremus, mutato conſilio ad pridie à nobis viſas inſulas contendimus. Quibus applicantes, cùm fundum haud reperiremus, cymbam contatum miſimus, quæ reverſa, nuncium de reperto, quàm proximè terram ad quadraginta quinq; orgyias, fundo attulit.

Eâdem ſcaphâ terram verſus dimiſſâ, primò duas, poſtea adhuc tres Parawas à littore rectà Schaphæ noſtræ obviam pergere conſpeximus.

Propiores facti Barbari pacis vexillum prætulerunt; cùm idem à noſtris quoque fieri cernerent, intrepidè ad navem noſtram venerunt: Nihil autem præter quoddam fabarum ac piſorum genus, orizæ ac Tobacci aliquantulum, cum duabus paradiſi avibus ſecum attulerant; nos unam ex illis, quæ candido rufóque colore variegata erat, commutavimus. Barbaros iſtos probè poteramus intelligere: vocabula enim quædam Ternatenſi linguæ communia uſurpabant: quidam etiam Malaicè quàm peritiſſimè loquebatur, quam linguam Mercator Celocis, Arius Nicolai probè callebat: Quidam etiam Hiſpanicas quaſdas voces interſerebant, intérque alia pileum quendam Hiſpanicum penes ſe habebant. Veſtitum quod attinet, quidam tenui linteolo umbilico tenus ſuccincti erant, alii ſubligacula ſerica diverſi coloris geſtabant: nonnulli tiaris caput texerant, quas Turcicas, ſeu Æthiopicas eſſe aſſerebant. Digitos etiam aliquot aureis argenteíſque annulis exornabant, capillitio autem planè erant nigro. Merces ſuas nobiſcum pro coralliis commutabant, magis tamen telam lineam expetebant, ſupra modum conſuetudinem noſtram detrectantes ac reformidantes. Rogati, quo ipſorum regio appellaretur nomine, illud indicare nefas duxerunt: Hinc, quemadmodum etiam aliis ex circumſtantiis, firmiter perſuaſi omnino credidimus, nos in Orientali latere de Gilolo verſari, prope medium iſtius regionis brachium, quæ regio, Gilolo ſcilicet, tribus brachiis verſus Orientem porrigitur: illosq; homines, Hiſpanorum amicos, Tidore eſſe oriundos, quod eventus ipſe poſtea edocuit.

Itaque magnâ affecti lætitiâ, poſt tot errores ſuperatos, duriſſimámque paupertatem exantlatam, eò locorum, ubi noti eſſemus, nos deveniſſe, brevi tempore populares noſtros nos viſuros, ſpe optimâ fruebamur, quod tanto jam tempore crebris votis atque deſideriis expetiveramus.

Nos leni aura provecti, quàm proximè terram ad tormenti majoris jactum à littore anchoram ad orgyias 40. fiximus: quo Incolæ Cocos, aliosq; fructus venales nobis detulerunt. Hi incommodiori loco anchoras à nobis jactas oſtendebant, quo certè nihil erat verius.

Sub veſperam enim exortus ventus quàm longiſſimè nos inde abripuit. Sub diſceſſum Barbari poſtridiè gallinas quaſdam ſe nobis allaturos pollicebantur. Nos iſto die tertia jam vice directò ſub Æquinoctiali fuimus.

6. Manè Barbari iſtius loci ad navim noſtram redeuntes, quandam Tobacci portionem, vaſa quædam porcellina, aliáſque merces attulerunt, verum cùm ventum à puppi ex S. S. O. ſpirantem haberemus, neque locus incommodior diuturniorem moram ferre videretur: Sublatis anchoris, ac verſus Moluccas directo curſu Septentrionem petiimus, ut relegentes oram, quæ verſus Septentrionalem Orientis plagam à Gilolo diſſita erat, poſtea verſus Septentrionem vela faceremus.

7. Immenſas habuimus pluvias, poſt Meridiem Septentri-Occidentalem Gilolo oram, dictam, Moratay, conſpeximus, quæ à nobis verſus S. W. erat diſſita.

8. Sub 4. grad. 3 min. altitudinis ab Septentrionali Æquatoris linea, noctu denſas pluvias, crebra tonitrua, & horrenda fulgura perpeſſi ſumus. Fluctus maris iſtoc in loco verſus Septentrionem trudebantur.

9. & 10. Vento exiſtente vario tempeſtas erat pluvioſa. Ac decimo quidem grad. altitudinis 3. minut. 50 attigimus.

11. Summo mane iterùm regionem de *Gilolo* dictam *Moratay*, juxta angulum Septentrionalem *de Gilolo* conſpeximus. Nos illam obtinere ſumma ope nitebamur, ſed fluctibus à terra verſus Septentrionem retroacti, eo quidem die voto potiri non potuimus.

12. & 13. altitudinem duorum grad. 58. minut. dimetientes, ventos etiamnum varios, ac pluviarum abundè ſuſtinuimus: quemadmodum & inſequentibus 14. 15. 16. diebus.

17. Difficulter admodum terram, multâ jam veſperâ, attigimus: Itaque cœlo ſereno juxta littus progreſſi, vidimus complures in ripa ſuſcitatos igniculos.

18. Mare maximam partem erat tranquillum: nos in littore etiamnum vagabamur, cùm ſub Meridiem duæ Parawæ ex vico quodam Ternatenſium *Soppy* ad navim noſtram appulerunt, vexillum pacis præ ſe ferentes. Nos commodè cum ipſis colloquebamur. Quidam ex Gammanacanor erant oriundi: hi referebant, Brigantinam quandam Amſterdamenſem, Pavonem dictam, ante tres menſes plenâ orizæ acceptâ vecturâ illinc iterùm ſolviſſe: antè unum verò atque alterum menſem, Anglicam quoque navim ibidem appuliſſe. Quantopere verò gaviſi ac lætati fuerimus, ubi tam commodo, tam deſiderabili loco, quàm proximè noſtros populares, poſt tot devoratos labores atque anguſtias, octoginta quinque hominibus integris, ſed ſumma annonæ penuria laborantibus, certò nos appuliſſe, verè conſtitit, iis conſiderandum relinquo, qui ſimilem fortunæ aleam periclitati ſunt. Altitudo poli duorum erat graduum, quadraginta ſeptem minutarum: fundum ad viginti octo orgyias contati ſumus. Quidam ex iſtis hominibus eam noctem nobiſcum permanebant, ut poſtridiè ad commodiorem ſtationem ante Soppy nos deducerent.

19. Sinum ingreſſi, ad tormenti jactum à littore, anchoras fundo ſabuloſo ad decem orgyias impreſſimus. Eodem die aliquam Sagou particulam, quaſdam gallinas, duas trésve teſtudines, & orizæ paululum ab Incolis impetravimus. 20. Bonam Sagou copiam, ut & orizæ paululum, telâ lineâ, coralliis, cultris, ſpeculis, pectinibus ab iiſdem redemimus. Eôdem *Correquora* quædam pro Rege Ternatenſi *Sagou* ac oryzam exactum advenerat: quæ referebat, iſtum Regem viginti navium tam Hollandicarum, quàm Anglicarum inſtructam habere claſſem, quæ in circuitu inſulæ Ternates vagantes, per tranſverſum mare ſulcarent: harum octo, quatuor ſcilicet Anglicas, & quatuor Hollandicas, jam verſus Manillias inſulas ſolviſſe. Nos magnam ibi piſcium cepimus copiam.

21. 22. 23. 24. diebus etiamnum in ſagou, atq; oryza, parvis modulis comportanda occupabamur.

23. Quod vini erat reliquum, ultimò bibimus.

25. die, cùm 4 tonnas Oryſæ, ac Sagou ſatis magnam copiam, ab incolis accepiſſemus, ſub veſperam iterum vela dedimus.

Inſequentibus diebus uſque ad quintum Septembris ſemper contrarios variósque ventos, magnam ſæpe in mari malaciam, nunc duras horribiléſque procellas, nunc denſiſſimas pluvias perpeſſi, juxta littus iſtud, inter maximos labores ac miſerias,

 ober-

oberravimus: ſæpe ultro citróque fluctuabamus: ſæpe eodem die fixas anchoras refiximus: verùm ſpes illa certiſſima, brevi nos Ternaten, noſtrósque conterraneos viſuros, animum nobis addidit, atque laboris miſeriæq; tædium mirum in modum ſublevavit.

SEPTEMBER. 5. Septembris die, cùm etiamnum in regionis de *Gilolo* latere hæreremus, quidam ex noſtris piſcatum exierunt: cùm autem projiciendis atque retrahendis hamis eſſent occupati, quatuor Ternatenſes ex ſylva proſilientes, unus ſtrictum gladium, alter ſcutum arripientes, hoſtili animo in noſtros impetum facturi videbantur: Verùm ubi Chirurgus alta voce Hollandos ſe eſſe, atque ut amicos confœderatos eò veniſſe, acclamavit: illi confeſtim minas poſuere, affuſa capitibus aquâ, ſe nos Luſitanos eſſe, fuiſſe arbitratos indicarunt. Noſtri illos ad navem devexerunt, ubi quum Corallis quibuſdam eſſent donati, in omnibus, quantum ejus fieri poſſet, ſe nobis gratificaturos, pollicebantur. Iidem ſe ex Gammacanor venire aſſerebant, à qua civitate quinque aut ſex circiter leucas abeſſemus.

6. & 7. Etiamnum cum maris malacia & ventis contrariis conflictati, ſubinde ſublatis anchoris vela facere aggrediebamur, ſed hac illac fluctuantes parùm aut nihil curſum promovimus.

8. Navi ab anchoris propter ventos contrarios relicta, Mercator noſter Jacobus Marius, unà cùm Celocis mercatore, cymba probè inſtructa verſus Gamma canor perrexerunt, illic aliquod refectionum genus ſeſe obtenturos confidentes. Ora iſta à Soppi, uſque ad Gammacanor verſus Auſtralem Occidentem, & Septentrionem porrigitur, variis ſinubus diſtincta: aquæ verſus Septentrionem devolvuntur.

9. & 10. eodem loco navis ſubſtitit, quemadmodum etiam undecimo, quò reverſa Scapha Gammacanoram non viderat, quòd longiùs eſſet remota, ipſi verò à commeatu minùs inſtructi: interim in alio quodam pago, Loloda dicto, ad duas leucas à navi noſtra diſſito, fuerant, ubi tantùm aliquot Bananas, quæ magna copia iſto in loco proveniunt, impetrarunt. Ab incolis hujus pagi cognitum, Hollandos cum Ternatenſibus inſulam quandam Siaw dictam, in tranſitu verſus Manilles poſitam intercepiſſe, ac juxta Ternatem vel tredecim naves ſubſiſtere.

12. Patronus noſtræ navis atque Arius Nicolai cùm octodecim probè armatis verſus Ternaten iter ingreſſi ſunt, à qua, noſtro calculo, viginti quinque leucas circiter aberamus. Reliqui unà cùm navi ab anchoris, quod continuaret malacia, commorati ſunt.

13. Malacia etiamnum durante, cùm quidam piſcatum prodiiſſent, tres incolæ ex Continenti, quàm proximè ad eos accedentes, tres apros ſtaturæ mediæ attulerunt, quos canibus à ſe prehenſos aſſerebant. Nos pro apris iſtis abundè illis ſatisfecimus.

14. Ventum nacti commodum, ſub meridiem ſolvimus, ſed mox vento iterùm deſtituti, magno cum labore ad tres leucas cum dimidia navem promovimus.

15. Paulò meliùs aſpirante aura, iſto die ad 4. leucas progreſſi ſumus.

16. Ad

16. Ad Gammacanor applicuimus, unde Inſulas Ternatæ, ac Tidoræ, in duobus altis montibus haud ita longè ab invicem, à nobis verò ad duodecim leucas, verſus meridiem diſſitas proſpeximns.

17. Omni conatu, ut Ternaten obtineremus, ſed fruſtra à nobis deſudatum eſt. Albicante jam aurora, navem quandam à ventis nobis obviam ferri conſpeximus. Hæc Lucifer dicta, Roterodami ſolverat, centum & quinquaginta onerum capax, ac viginti ſex tormentis bellicis erat inſtructa. Sub meridiem ſcapha noſtra ex eadem illa navi, in qua tertiam jam noctem, cùm illam in ſinu *Sabou* offendiſſet, ſubſtiterat, ad nos rediit. Admiralis iſtius navis erat, Verhagius; pertinebat autem ad claſſem Speilbergii: Ex his comperimus, ipſum Speilbergium propè Fretum Magellanicum, quod intra bimeſtre ſpacium trajeciſſent, minorem ſuam Barquam amiſiſſe: eundem, cùm in ora Braſilienſi juxta flumen de Spirito Santo cum Barbaris congrederetur, unà cùm armatis militibus trium Barquettarum jacturam paſſum eſſe. interim civitatem Paytam funditus evertiſſe: cum octo Hiſpanicis navibus congreſſum, tres illarum potiſſimas, Admiralem, Viceadmiralem, & adhuc aliam unam ſub undas demerſiſſe, nullo quidem, niſi quorundam militum, accepto damno, ſed nullo quoque percepto lucro. Eundem Limam prætervectum complures ſinus, in quorum uno quadraginta navium Hiſpanicarum ſubſtiterat claſſis, re infecta perluſtraſſe: cùmque longiùs oram Novæ Hiſpaniæ, per Manilles, verſus Indiam Orientalem pertigiſſet, inde in patriam ſub ductu Naucleri Johannis Cornelii Maji, alias Menſcheter, ſeu Hominivori, quatuor naves, Ambſterdamum, Inſignia Abſterdamenſia, Selandiam ac Midelburgum remiſiſſe. Iidem referebant, decem navium probè exarmatarum claſſem, ſub auſpiciis Johan-Theodorici Lammii Hornani, verſus Manilles directam eſſe, quæ Hiſpanicam Flotam à promontoriis Ternatenſium prohiberet.

Ex iiſdem cognovimus Generalem Petrum Bottium, cùm in patriam moliretur reditum, unà cùm quatuor navibus, ad rupes prope Mauritii inſulas alliſum facto naufragio iiſſe perditum: pleróſque ejus comites mari unà cùm ipſo ſubmerſos, vix unicam navim periculum evaſiſſe. Eodem die ante Matajam Ternatæ inſulam loco ſabuloſo ad undecim orgyias anchoras firmavimus, admodum læti tandem nos noſtræ gentis homines offendiſſe. Navarchus & Mercator quàm primùm in terram egreſſi, cùm Generali, *Laurentio Real*, qui defuncto haud ita pridem *Gerhardo Reinſtio* ſucceſſerat, locuti ſunt: à quò ſumma cùm benevolentia ſunt excepti, quemadmodum etiam ab Admirali Stephano Verhagio, & Amboinæ Gubernatore Jaſparo Janſſio factum eſt. 18. Mercator & Navarchus denuò in terram progreſſi, duas noſtras cymbas, quatuor minora tormenta ex Celoce reliqua, aliquot plumbi maſſas, duos prægrandes rudentes, novem anchoras & res minutulas alias vendiderunt.

19.20.21.22.23. Eodem in loco commorati ſumus.

24. Undecim viri & quatuor pueri, à Navarcho, ſe, quòd diutiùs in India comorari, & Societati Occidentalis Indiæ inſervire cuperent, à dicto ſacramento liberos pronunciari petierunt: Qua in re ipſis à Nauarcho aſſenſum eſt,

cùm idem quoque *Generalis Real* ab ipſo flagitaret. 26. Ubi vale extremum dixiſſemus Generali Laurentio Reali, qui honeſtè nos exceptos, omni benevolentia proſequutus, noſtrumque Navarchum ac Mercatorem in ſignum amoris ſingularis ad navem comitatus fuerat: cum duabus navibus iſthinc ſolvimus. Harum unà Lucifer, ſupradicta illa navis erat, quæ vigeſimo ſecundo, quàm proximè navim noſtram in eadem ſtatione anchoras jecerat, ac modò Motir verſus vela facere decreverat, cùm nos ad Bantam curſum noſtrum dirigeremus. Nos urgente ſic Generali navis Luciferi Mercatore, quendam ex ejus miniſtris nobiſcum *Bantam* aveximus.

27. *Tidorem* prætervecti ſumus, ac navis Lucifer à nobis verſus *Motir* diſceſſit.

28. *Motir*, & *Makiam*, 29. *Cajou*, & *Bakiam* poſt tergum rejecimus, quarta vice, eodem die, Lineam Æquinoctialem tranſſcendentes.

OCTOBER. 2. Octobris *Loëgam Combellam*, & *Manipam* in *Seira* ſuperavimus: 3. *Burro* usq; devenimus.

6. *Botton* & *Cabeſſecabinto*, & 7. *Cabonam* tranſiimus.

8. Anguſtias Bugaronas inter angulum Meridionalem *Celebes* & *Deſolaſo* trajecimus.

13 Sub veſperam in conſpectum prodiit *Maduræ* inſula: 14. manè *Javam* vidimus, *Tuban* eodem die prætervecti.

16. Circa Meridiem ante *Japaram* conſedimus. In hac Statione navem Hollandicam, Ambſterdamum dictam invenimus, quæ orizæ comparandæ, ac in Ternatem devehendæ gratiâ ibi ab anchoris hærebat. Nos ibidem commercia exercentes, de Oriza, Areca, carne, piſcibus aliisq; vectigalibus, quæ in reditu patriam verſus noſtris uſibus inſervirent abundè nobis proſpeximus.

23. Iſthinc ſolventes, 28. Propè Jacataram extra inſulas anchoram demerſimus. Tres hîc naves Hollandicas, Cornu, Aquilam, Juſtitiam, cum tribus Anglicis navibus offendimus. Sequenti nocte unus ex noſtris mortuus eſt: primus hic erat, qui in majori navi Concordia, animam exhalavit: nam qui præter hunc duo deceſſerant, nempe Johannes Cornelii Schouten, Navarchi noſtri frater, in mari Auſtrali prope *Canum* inſulam; & quidam alius ſub Luſitaniæ oram, cum Celoce venerant: ut ita ex omni numero tantummodo tres fato ſuo functos deſideraremus: reliqui 84. omnes mediocriter ſalvi eſſent ſuperſtites.

31. Alia adhuc navis Bantam dicta, antè Jacataram ſubſtitit, cui nomine Societatis Occidentalis Indiæ, cum imperio præerat Johannes Petri Coenius Hornanus.

Calendis Novembris, Præſes Johannes Petri Koenius, Navarchum noſtrum cum præcipuis mercatoribus ad ſe in terram acceſſivit, illíſque in pleno conſiliariorum ſuorum conceſſu nomine & authoritate Societatis Occidentalis denunciavit: ut navi cum omnibus excedentes, ſeſe in ipſius poteſtatem traderent. Quamvis autē ſeſe illi Nauarchus acriter opponeret, ac magnâ ſibi injuriâ ac vim afferri demonſtraret: nihilominus, cùm numero viribusq; eſſemus impares, quicquid mandaret Præſes, faciendū ferendūq; nobis fuit. Prætendebat is, ſe officium ſuū exequi, ſi verò injuriam nobis fieri arbitraremus, integrum cuilibet eſſe jus ſuum in Hollandia perſequi. Sic ergo Navi, boníſque omni-

omnibus expoliati fuimus. Ad navem cum omnibus armamentis recipiendam, duo Naucleri deſignati ſunt: ad merces verò exportandas duo præcipui mercatores deputati, quibus omnia, priùs in tabulas fideliter absq; mora per Navarchum ac mercatorem noſtrum fuerunt tradita. Accidit hoc Die Lunæ ipſis Calendis Novembribus, juxta noſtrum calculum: ut verò noſtri gentiles qui ibi degebant, ſupputabant, factum eſt Die Martis, 2. Novembris. Differentia hæc temporis inde orta eſt: Cum ex patria verſus Occidentem ſolventes ambitum terræ ſemel unà cùm Sole emenſi eſſemus, unam noctem ſeu occaſum ſolis minus cœteris habuimus: E contra qui ab Occidente verſus Orientem venerant, unum diem, ſolisq; occaſum plus nobis habuerant, quod temporis intervallum integrum diem naturalem conſtituit. Sed controverſiâ iſtâ aliis relictâ, nos ad popularium ſententiam noſtram quoque aggregavimus. Interim certè in iſta ſeptimana nobis ex Lunæ die in Mercurii diem tranſultantibus, unus dies periit: ſicq; ſeptimanam ſex tantummodò dierum habuimus.

Hac ratione, navi bonisq; exarmati quidam ex noſtris operam ſuam ſocietati Weſtindicæ addixerunt, reliqui in duas naves Amſterdamum & Selandiam, quibus cum imperio Georgius Speilbergius præerat, ut in patriam redirent diſtributi ſunt. Navarchus Guilhelmus Schouten, cum Jacobo Mario, aliisq; decem noſtræ gentis hominibus, navi Ambſterdamo, unà cùm Archithalaſſo ſupradicto vehebantur: Nauclerum habebant Johannem Cornelii Majum, alias Menſchter, ſeu Anthropophagum. Arius Claeſzen, & pilota Nicolaus Petri unà cum decem aliis in alteram, Selandiam nempe, conceſſerant, cui Nauclerus erat Cornelius Riemland Middelburgenſis. Solverunt hi ex Jacatara 14. Decembris.

22. Mortuus eſt primarius noſter Mercator, Jacobus Marius.

Calendis Januarii navis Selandia ex oculis noſtris ſubducta eſt.

24. Sub inſula Mauricii in ſtationem devenimus: hic aliquantulum viribus recreandis datum, poſtea inde 30. ejuſdem menſis die diſceſſum.

6. Martii Caput Bonæ ſpei tranſire nobis viſi ſumus: neq; enim directò illud conſpicere licebat.

31. Sub Helenæ inſulam appulimus: hîc Zelandiam navem noſtram rurſus offendimus, quæ aliquot ante nos diebus ibidem applicuerat.

6. Aprilis, cùm corpora curaſſemus, ac de recenti aqua nobis proſpexiſſemus, inde ſolventes 14. Aſcenſionis inſulam deteximus.

24. Quinta vice Æquinoctialem lineam ſubeuntes, 28. ſtellam Septentrionalem, quæ 20. menſium ſpacio nobis non illuxerat, primò obſervavimus.

Calendis Julii navis Ambſterdamum in Selandia feliciter appulit, cum pridie Selandia navis patriis littoribus ſucceſſiſſet. Atq; ita duorum annorum, octodecim dierum ſpacio univerſum iter noſtrum peregimus.

SOLI DEO GLORIA.

In inſcriptione hujus navigationis ſuperlineari erratum eſt; eſt n. Deſcriptio Freti le Maire *aut meliori jure* Guiellelmi Schouten, *non Magellanici, quod benevolus lector emendare poterit.*

cumbus expositi [illegible]. Adhæc, quod [illegible]
Nurden [illegible]
ri, quus [illegible]
noctibus [illegible]
ftum [illegible]
Mauri [illegible]
tate [illegible]
ſe recedi [illegible]
tem [illegible]
vallum [illegible]
populum [illegible]
fronti [illegible]
fugam [illegible]

Hæc [illegible]
ſtrictis [illegible]
impera[illegible]
ehe [illegible]
hi, [illegible]
e [illegible]
Claſſis [illegible]
eo [illegible]
e Tacara [illegible]

22. [illegible]

Caſpii [illegible]

24. [illegible]
ſis [illegible]

6. [illegible]
ſp[illegible]

11. [illegible]
dinar, quæ [illegible]

6. [illegible]
deſolvent [illegible]

7. [illegible]
quæ [illegible]

Caſpii [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Sanct. Dei G[illegible]

[illegible]
[illegible]

SEQVVNTVR

VERÆ VIVÆQUE RERUM PRÆCIPUARUM IN HAC GUILHELMI SCHOUTEN PER AUSTRALEM OCEANUM NAVIGATIONE GESTARUM IMAGINES,

ad undecimam Indiæ Occidentalis partem referendæ.

ADDITÆ SVNT VNICVIQVE FIGVRÆ BREVES DESCRIPTIONES in gratiam novarum rerum cupidi lectoris in æs accuratè inciſæ & ob oculos poſitæ

Studio atque operâ

JOHANN-THEODORI de BRY Civis ac Bibliopolæ Oppenhemenſis.

OPPENHEIMII

Typis HIERONYMI GALLERI.

ANNO

M DC XIX.

RPJCB

I.

Guilhelmi Schouten in auſtralem oceanum expeditio.




C Um ſingulari privilegio Indiæ occidentalis mercatorum collegio cautum eſſet, ne quis per fretum Magellanicum in Indiam vela faceret: mercatores alii hoc edicto negocia & commercia ſua gravari exiſtimantes, inſtinctu Guilhelmi Schouten Hornani duas naves adornarunt, quæ novum tranſitum Meridiem verſus indagarent.

RPJCB

II.

Deſcriptio freti Le Maire à Guilhelmo Schouten Hornano inventi & luſtrati.



Oſtquam hæ naves vario uſæ cœlo ventóque in viam ſe dederunt, ac novas quaſdam inſulas ante hac incognitas offenderunt, quas in honorem ſuperiorum, C. Horn, Mauritii, Statuum, Barnefeldi inſulas appellarunt: tandem ſcopum aſſecutæ, inter Mauritii & Statuum inſulam, ſub 57. altitudinis gradu, commodum in auſtralem oceanum tranſitum repererūt, quem, urgente ſic Jacobo Mairio commiſſario, Fretum Le Maire *appellarunt, quamvis meliore jure, Fretum Guilhelmi Schouten dici debuiſſet, cujus potiſſimum induſtria detectio iſta ſuſcepta, ad exitum feliciter deducta eſt.*

RPJCB

III.

Hollandi navem quandam Barbarorum, unà cum liberis eorum intercipiunt.



CUm Hollandi ſub 15. grad. 20. minut. verſarentur, ſumpto jam prandio, navem quandam conſpicati, eam initio Hiſpanicam Barquam eſſe rati ſunt: cùm verò tertiò monita vela ſubmittere recuſaret, Hollandi ſcapham ſuam cum aliquot armatis emiſerunt; qui diſploſis muſquettis eam vi caperent. Quod animadvertentes Barbari, ſupra modum turbati, atque territi partim merces partim ſeipſos in mare projecerunt.

Barbari

RPJCB

IV.


Barbari quomodo erga Hollandos ſe geſſerint, & quid in Muſcarum inſula ipſis evenerit.



EX his unus, quì puerulum geſtabat, item alter qui in tergo vulneratus erat, ex mari, ope Hollandorum protracti, atque in vivis ſervati ſunt. Cum navem conſcenderent, duo viri, quorum alter provectæ ætatis capillos habebat candidos, alter junior promiſſis & rufis erat capillis, ad pedes Hollandorum ſeſe abjicientes eos exoſculati ſunt. Quos illi probè acceptos, obligatis per chirurgum eorum vulneribus, benignè à ſe dimiſerunt. Cùm verò aliam quandam inſulam prætervelerentur, muſcis planè obſiti atque obruti ſunt, ut ſive eſſent, ſive biberent, omnia muſcarum iſtarum impudentia inquinarentur; Quæ tandem inſurgentis venti impetu, atque aſſiduis captationibus abactæ, poſt triduum evanuerunt, unde loco iſti, Muſcarum inſulæ nomen obtigit.

RPJCB

V.
Quid Hollandis in Cocos & Proditorum inſula acciderit.



HOllandi ulteriùs progreſſi ad duas alias Inſulas pertigerunt, ex his unam, quod arboribus de Cocos referta eſſet, Cocorum inſulam *nuncuparunt. Incolæ Canois ſuis appropinquantes, tanto agmine in navem proruebant, ut quo ſe verterent Hollandi, vix ac ne vix quidem ſcirent. Peracta negociatione, in mare proſilientes natando commutatas furtóve ablatas merces in terram efferebant. Cum autem Hollandi cymbam ſuam, alteram inſulam verſus ablegarent, ea duodecim Barbarorum Canois circumdata, impetum illorum ægrè ſuſtinuit: tandem tamen Barbari, quoſdam ex ſuis, muſquetis vulneratos ac proſtratos conſpicati, pedem repreſſerunt. Quamvis etiam Inſulæ hujus Regulus prima fronte omnem benevolentiam Hollandis offerret, poſterâ tamen ſummis viribus aggredi ac navi ſpoliare conatus eſt. Itaque navem ingenti Canoarum agmine circumſeptam fortiter quidem adoritur: verùm cum Hollandi tormentis majoribus alacriter in hoſtem effulminarent, non ſine dedecore atque ingenti detrimento, receptui canere coactus eſt. Quare tam inſignem incolarum perfidiam experti Hollandi, loco iſti* proditorum Inſulæ *nomen reliquerunt.*

RPJCB

VI.

Quid Hollandis in Inſula fundo deſtituta evenerit.



Hollandi ad aliam quandam inſulam, ſylveſtribus palmitibus conſitam, in qua viri promiſſos fœminæ, curtos alunt capillos, devenerunt: cúmque fundum reperire nuſpiam poſſent, quidam natando in terram evadentes reliquos funiculis attraxerunt. Quàm primum verò pedem in terram efferrent, triginta Barbari ex nemore quodam proſilientes, duos ex cymba protractos in nemus iſtud ſecum abripere voluerunt. Ubi verò Hollandi muſquettas aliquot in iſtos Barbaros evibraſſent; eorum fœminæ, maritorum colla prenſantes, à prælii alea ſubeunda ſuos dehortabantur, ne forte ſclopetis trajecti vitam profunderent. Itaque Canoa quadam tres viros pacis ſanciendæ, ac commerciorum contrahendorum gratiâ ad Hollandos ablegarunt: qui quidem comiter ab Hollandis excepti ſunt. Uni in argenteo poculo vinum bibendum porrigebatur, qui ex hauſto vino, poculum iſtud ægrè admodum reddidit. Ferrum libenter ſecum furto abſtuliſſent, niſi tenacius aſſeribus inhæſiſſet. Interea verò, dum tres iſti in nave verſabantur, magnum barbarorum agmen in littore cogebatur, qui ſuâ lingua Hollandos, ut in terram exſcenderent, invitabant.

Quo-

RPJCB

VII.
Quomodo in alia quadam Inſula Hollandi excepti fuerint.



AD aliam porrò inſulam delati Hollandi, omni benevolentia cùm à rege, tum à ſubditis excepti ſunt. Cum aliquando vicinus rex, hujus inſulæ regem inviſeret, illíque poſt miris geſticulationibus dictam ſalutem, atque oblata utrinque munera in palatio cibum capturi conſediſſent: Hollandi in honorem regum tormenta ſua diſplodi, tubáſque inflari juſſerunt.

RPJCB

VIII.

Quomodo cibum apponere, potum conficere, ac coram rege choreas ducere ſoleant Barbari.




Cibum in capita ſublatum, flexis [illegible] genibus coram Rege [illegible] Ēta, quam ore maſticatam in catinum ligneum expuunt, conficitur. Cum aliquando Hollandi lucente Lunâ ad regem pergerent, eum inter Conjuges ſedentem, ac nudarum aliquot puellarum Choreas non ſine voluptate ſpectantem offenderunt: quam in arbaris gratiam ac venuſtatem Hollãdi oppidò mirati ſunt.

De-

RPJCB

IX.

Deſcriptio inſulæ Hornæ.



AMœna hæc admodum eſt inſula, plena nucibus de Cocos, radicibus d'ubas, ac porcellis ſylveſtribus, quos incolæ partim dono, partim precio Hollandis obtulerunt. Incolæ ſub initium feroces paulatim Hollandorum humanitate, ad mentem meliorem revocati ſunt. Domunculæ eorum juxta ripam fluminis protenduntur, ovali forma ſtructæ, ac ſuperiùs acuminatæ, ut aqua pluvialis eò faciliùs poſſit defluere. Nihil in illis præter herbas ſole exſiccatas, virgam piſcatoriam unam atque alteram & clavam ligneam cernitur. Hæc omnis illorum eſt ſuppellex. Alioqui boni ſunt natatores, fures eximii, ac ferri ultra modum avidi. Hollandi cum aliquandiu in hac inſula ſubſtitiſtent, demum verſus Moluccas inſulas curſum direxerunt.

F I N I S.

09189a

RPJCB

AMERICÆ TOMI VNDECIMI APPENDIX.

SEV

ADMIRANDÆ NAVIGATIONIS A GEORGIO A SPILBERGEN, CLASSIS BELGICÆ CVM poteſtate Præfecti, per fretum Magellanicum & Mare meridionale, ab Anno 1614. vſq; ad Annum 1618. incluſiuè peractæ, deſcriptio.

QVA

NOVI PER FRETVM MAGELLANICVM ET MARE MERIDIONALE IN INDIAM ORIENTALEM TRANSITVS, INCOGNITARVMque hactenus terrarum & gentium vt & omnium quæ terra mariq; acciderunt & viſa ſunt memorabilium, explicatio continetur, additis pulcherrimis & nunquam antea viſis figuris in æs inciſis,

Auctore

M. GOTHARDO ARTHVSIO Dantiſcano,



FRANCOFVRTI,
Typis IOANNIS HOFERI, Sumptibus IOANNIS-THEODORI de BRY,

ANNO

M. DC. XX.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QVæ ad veteres illos, Ptolomæum, Strabonem & alios, nunquam Indicarum regionum & inſularum peruenit notitia, eam confœderatorum Belgii ordinum, ac illuſtriſſimi inuictiſſimique Auraicæ Principis Mauritii, vt & reliquorum in unitis Belgii Prouinciis Indicæ ſocietatis Dominorum, induſtriæ, curæ, prudentiæ, acceptam referre nos maximam partem oportet. Eorum enim auſpiciis factum, ut nullis facultatibus periculisq; deterriti Magellanus, Draco, Candiſcus, Machiæus, Nordanus, Spilbergius, & alii nobiliſſimi præſtantiſſimique viri, nauigationes periculoſiſſimas ſuſceperint, & mari omni perluſtrato, incognitorum veteribus locorum iſtorum notitiam ad nos tranſmiſerint.

Non verò exiſtimandum eſt, nihil ex nauigationibus iſtis emolumenti hauriri ab illis poſſe, qui tantum ſubire diſcrimen recuſantes, domi deliteſcere malunt, quàm in mari oberrare & vitam fortunasque omnes ſuas tribus, quod ajunt, tabulis committere, præterquam enim quod terrarum iſtarum, & gentium externarum jucunda ipſis accidere luſtratio poteſt, firmum etiam aduerſus Auctores veteres de variis quæ parum vera nobis reliquerunt judicium, ab illis quos penitior rerum omnium ſupra vulgus extollit, deſumi cognitio poteſt.

Quemadmodum igitur in parte hac Americæ undecima, admiranda illa à Guilhelmo Schouten & Iacobo Mario in mari meridionali facta nauigatio deſcripta reperitur, ſic in hac appendice quoque ſuſceptam à Georgio Spilbergio nauigationem, cuius in priori illa non ſemel mentio facta, omnibus exhibemus.

Ingentibus enim vterque animis periculoſiſſimas in mari expeditiones ſuſcipientes, non parum inde fructus ad ſuos attulerunt. Et Spilbergius quidem Anno 1614. è patria ſoluens, ad San-Vincentium primum in Braſilia applicuit, deinde in anno ſequenti, triginta quatuor dierum ſpacio, vorax illud multorum hominum plenumque diſcriminis fretum Magellanicum pertranſiit, indeque lecto Chileſio littore, ſuperatisque Lamocha, San-Maria, Conceptione, Valpariſa & Quintera inſulis, iisque ſumma cum admiratione luſtratis, infeſtæ Hiſpanicarum octo nauium claſſi occurrit, & die nocteque integra dimicando conſumptis, egregiam laudabilemque ab iis victoriam reportauit. Alter verò Schouten, commorante in India Spilbergio cum naui ſua ad Molucas applicuit, nouo planè ad Auſtrale Magellanici freti latus tranſi-

tu reperto, & Mario interim defuncto, conſcenſa Spilbergii naui vna cum eo ſaluus ad ſuos reuerſus eſt. Cæterum qua fortuna hoc in itinere vſi, quæ ipſi inſulæ perluſtratæ, quid monſtrorum, animalium, barbarorum hominum, & rerum exoticarum viſum ſit, id omne verè & ſincerè ex ſcriptis ſermonibusque eorum, qui præſentes ipſis adfuerunt, quin & pars itineris non minima fuerunt, exceptum, & ad eos tranſmiſſum, priori hiſtoriæ annectere placuit, vt vna opera cognoſcere vtraque poſſes: ſi quid porro eius generis ad nos peruenerit, tibi quoque promtiſſimo ſtudio quamprimum communicabimus.

Tu interim vale, & conatibus noſtris faue.

AMERICÆ
PARTIS VNDECIMÆ APPENDIX,

QVA

NOVAE IN INDIAM ORIENTALEM A GEORGIO SPILBERGIO, PER MARE MERIDIOnale ſuſceptæ & peractæ nauigationis deſcriptio continetur.

AVſpiciis potentiſſimorum ordinum & Excellentiæ ſuæ Mauritii, Auraici Principis, Georgius à Spilbergen Generalis claſſis Præfectus, cum ſex nauibus mare ingreſſus eſt. Nomina earum erant *Nouus Sol, Noua Luna, Venator, Larus, Aeolus & Lucifer*. Texelia autem Anno 1614. die 8. Auguſti ſoluens, 23. Octobris, ſalſas inſulas prætervectus eſt, easque debito gradu in tabulis collocatas non eſſe deprȩhendit, quemadmodum etiam à Centurione Vincentio 17. gradu poſitæ reperiuntur. Cum non longè à terra abeſſent, & non eſſe commodum ad maiores anchoras vadum deprȩhendiſſent, in altum vela rurſus obuerterunt. Malaciam autem toto die experti, aquam pluuiam linteis atque induſiis exceperunt.

Spilbergius cum ſex nauibus Texelia ſoluit.

Habita deliberatione, concluſum à conſilio fuit, vt caput *de Frio* tranſeuntes per inſulam quæ *Grande* dicitur, ad Braſiliæ oras, lignandi, aquandique gratia proficiſcerentur. Digreſſos, imber, fulmina, tonitrua & tempeſtas maxima ſecuta, & à 30. Octob ad 17. Nouemb. uſque cum variis & inſtabilibus, vt ſub climate iſto fieri ſolet, ventis, continuata fuit.

Experiuntur magnam tempeſtatem.

Cum 9. Decemb. periculoſa *Abrolium* vada feliciter ſuperaſſent, ſuſpenſis totius claſſis vexillis communi oratione laudes Deo dictæ, & peractæ gratiæ fuerunt. Quatriduo poſt Braſiliam ſummo mane conſpexerunt, nautis propter tranſactæ noctis eleuationem & terræ conſpectum *San Claram* eſſe exiſtimantibus, caput vero *San Thomæ*, quatuor circiter leucis à littore abeſſe, coniectura iudicatum fuit. Sub veſperam concluſum fuit, vt iterum in altum tenderent, & intempeſta poſtmodum nocte ad littus accederent, quod etiam factum, cumque breuia ibi eſſe deprȩhendiſſent, inflexo rurſus curſu ad terram properarunt.

Conſpiciunt Braſiliam.

Die 20. Dec. ad inſulas *Grandes* acceſſerunt, cumque ſtationem aſſecuti eſſent, anchoras proiecerunt inter duas magnas inſulas, multis arboribus conſitas. Præfecto ad viſitandam terram digreſſo & reuerſo, vniuerſa claſſis ad aliam inſulam media leuca inde diſtantem profecta eſt. Capti autem ſunt ibi piſces plurimi atque inter eos Crocodili hominem longitudine ſuperantes. Miſſi deinde ſunt lembi varii ad explorandum tractum, commodioremque ſtationem indagandam, cumque ad aliam inſulam acceſſiſſent, tuguriola duo & oſſa quædam humana ſub rupe quadam inuenerunt. Erant autem multi in claſſe ægroti, itaque ſequenti die Præfectus cum Centurione & fabris aliquot lignariis in terram deſcendit ad tuguria pro exponendis ægrotis extruenda, qui etiam circa veſperam in iis collocati, & per noctem tribus militum cohortibus cuſtoditi fuerunt. Qui aquas dulces allatum miſſi erant, ad Admiralium poſtero die reuerſi, hominum ſeſe in ſylua tumultum audiuiſſe ſignificarunt. Dimiſſis iterum lembis, cum arma in nauibus reliquiſſent, animaduerſum eſt, eos qui in venatore erant tormenta exonerare. Explorantes cauſam, cognouerunt Luſitanos & Mexicanos cum quinque celocibus aduectos, lembos iſtos tres inuaſiſſe & trucidatis omnibus ſecum abduxiſſe. Cum eos perſequerentur mox in fugam ſe dederunt, & Hollandi quod plures ibi adeſſent celoces, à perſequendo abſiſtere coacti ſunt. Cum vero aquam ſufficientem nondum haberent, nauis una ad miliare circiter miſſa fuit, vt lembos aquas recentes afferentes tueretur: cum lembi redirent, nautam naui iſta eiectam, & telis confoſſum in littore deprȩhenderunt, itaque nauis adhuc vna ad maiorem lemborum ſecuritatem eo deſtinata fuit.

Peruenerunt ad inſulas Grandes.

Anno 1615. Seditioſi quidam in claſſe pœnam luunt.

Anno 1615. Calendis Ianuarii, quatuor nautæ ad Præfectum captiui adducti fuerunt, quod cum duabus nauibus Iaro nimirum & venatore ſeparare ſe à claſſe voluiſſent. Eorum duo, 5. Ianuarii ad mortem damnati fuerunt, vt nempe ad malum ſuſpenſi à ſex ſclopetariis in naui trajicerentur. Adhibitus igitur Eccleſiaſtes eos conſolatus, & ad pœnitentiam per noctem iſtam exhortatus fuit. Die facto, Præfectus vexillum ſanguineum expoſuit, & coram armatis militibus ſententiam Fiſcalis pronunciauit, quæ deinde executioni data fuit, corporibus in continente ſepultis.

Decretum faciunt de petenda inſula Lamocha.

Antequam ab inſula *Grandi* abirent, conſilium à ſenatu nautico habitum, ſtatutumq; eſt, vt ſi fortaſſe nauium aliquæ à reliquis aberrarent, in *Cordes* portu, aliiſque circumiacentibus inſulis conſpicuo aliquo loco, in quo anchoræ communiter jaciuntur, pali aliqui figerentur, & ſingulæ nauium ſignum aliquod appenderent, quo tranſitus earum ſequentibus indicaretur. Determinatum præterea tempus etiam fuit, quo ſeſe inuicem expectarent, ſex videlicet aut ſeptem dierum. Eo enim finito & elapſo, ſuum quæque iter maturaret ad inſulam *Lamochiam*, in mari auſtrali ſitam, ibique mandatum vlterius expectarent.

Multi in claſſe incipiunt ægrotare.

Poſt dies aliquot conuocato iterum ſenatu propoſitum fuit, vt in ægrotantium gratiam, quia ſcilicet neceſſariis omnibus deſtituebantur, ad inſulam *San-Vincentii* curſus dirigeretur. Hoc Admiralius in primis vrgebat, eo quod morbi quotidie inualeſcerent, neque fieri poſſe videretur, vt tam vaſtæ naues per fretum Magellanicum, ejusq; anguſtias ab ægris & inualidis traducerentur. Alii contra ſentiebant, præualuit tamen maior & ſanior pars, quæ recreationem ægrotorum neceſſariam iudicabat. Deſtructis itaque quæ in littore extructa habebant, tuguriolis nauigationem continuarunt, & captiui qui in naui prætoria etiamnum erant, conducti inque naues alias variè diſtributi fuerunt, quo facto, generalem claſſis totius delectum præfectus egit.

Fumus de terra aſcèdens.

Cum 17. Ianuarii ingens in terra fumus apparuiſſet, & Nauarchus venatoris, qui loca iſta aliquoties viſitarat, ignorare ſe terras iſtas, vnde fumus aſcenderat, conſtanter affirmaret, conuocato ſenatu concluſum eſt, vt Lembus Admiralii, cum duobus tormentis, militibus ſedecim & decem nautis, duabus ante lucem horis proficiſceretur, vt terram vbi fumus viſus erat, inquireret, atque ibi munuſculis quibuſdam amicitiam cum incolis contraheret, cum autem proficere nihil poſſet, proiectis ibi vno circiter à terra miliari anchoris, venator ad terram iſtam expoſito vexillo albo, contendit.

Accipiunt promiſſionem de commeatu.

Viſa ibi in littore & ſylua ingens hominum multitudo fuit, accedentibus autem acclamarunt Luſitani, vt ne appropinquarent ad littus cum lembis, ſed vnum tantum hominem mitterent. Mox igitur Vice Admiralius Iohannes Henrici nudus in mare deſiliens ad terram adnatauit. Stabat ad littus ingens Luſitanorum, ſylueſtriumque hominum multitudo arcubus & telis armata. Quamobrem Hollandus ille propius accedere recuſans, & rupi inſiſtens vnum ipſorum depoſitis armis ad colloquium vocauit, interrogatusque ab eo qui aduenerat quinam & vnde eſſent, quove tenderent, reſpondit venire ex Flandria, & ad *Rio de plata* tendere, commeatum pro precio & amicitia flagitare. Intulit alter, quanquam interdicto Regis agere cum illis vetarentur, ſi tamen ſecretum id habituros promitterent, neque ad *San Vincentium* profecturi eſſent ad ipſos prodendos, ſequenti die omnia abunde ſuppeditatum iri.

Sanctus ciuitas ab Hiſpanis habitata.

Circa meridiem eius diei Admiralius lembo, duobus tormentis lapideis, & triginta armatis inſtructo ad venatorem miſſo, iuſſit eum ad inquirendam inſulam præcurrere, eaq; inuenta ſignum tormento dare, quo facto quatuor deinde naues ad eum profectæ ſunt. Prima aurora ad angulum fluminis duæ ſe Liburnicæ oſtenderunt, ſed illæ conſpectis noſtris nauibus fugam ſtatim dederunt. Admiralius extemplo venatorem cum duobus lembis ad flumen miſit, vt vadum exploraret. Sed non multò poſt ex proxima ciuitate quæ *Sanctus* dicitur venientem conſpexerunt Liburnicam hominibus refertam, & album vexillum præferentem, quæ cum aduentus ſui cauſam intellexiſſet, juſſit vt ad Gubernatorem ſuum ſcriberent; promiſitque ſe reſponſum ad literas ipſorum allaturam. Monebant autem qui in ea erant, vt à ſylueſtribus feriſq; hominibus apud *San Vincentium* ſibi cauerent. Breui poſt tempore venator flumen ingreſſus tormento ſignum dedit, quod mox reliquæ naues lectis anchoris ſecutæ ſunt. Literas tamen prius vt juſſi erant, ad palum in terra alligarant, Admiralius verò remoto vexillo albo, aurei coloris aliud ſubſtituit. Altero die miſſi aliquot lembi ad locum, in quo pridiè literas ſtatuerant. Ibi duæ liburnicæ cum Luſitanis reſponſum attulerant, ſed illud à ſenatu lectum nullius momenti eſſe cernebatur. Nouæ igitur literæ ſcriptæ, lembique aliqui acceptis duabus vini Hiſpanici amphoris, caſeis totidem & cultris nonnullis, omnia ea Luſitanis obtulerunt.

Eodem

Littus San-Vincentii.

Eodem tempore ad littus *San-Vincentii* cujus acceſſum Sanctenſes ipſis prohibuerant plurimos homines conſpexerunt album vexillum geſtantes, ad quos quatuor è Liburnicis accurrerunt. Negabant autem ſe quicquam cum ipſis abſque conſenſu Gubernatoris ſui tractare poſſe, quare diſcedentes Hollandi addebant ſe ex inſula fructuum aliquid allaturos, quod ipſi neque acceptarunt, neque recuſarunt. Ingruente veſpera duæ à venatore liburnicæ venerunt, poma, citria & carnis paululum afferentes.

Accipiunt commeatum à Luſitanis.

Acceptis rebus iſtis Capitaneus cum Vexillifero & locum tenente ad terram, cum tribus liburnicis armatorum plenis appulerunt, vt certi aliquid cognoſcerent. Accedentibus datæ literæ fuerunt nomine Gubernatoris, abſque vllius tamen nominis ſubſcriptione. Adduxerunt autem ad naues duos Luſitanos, vnum Mexicanum, alterum Braſilianum, in quorum locum obſides in terra aliqui manſerunt. Oſtenſa autem ipſis nauis conſtitutio fuit, & cum aliarum nauium præſides ad nauem veniſſent, totum illum diem hilarem habuerunt, cumque inclinante jam die diſcederent, honoris ipſorum gratia tormenta quædam diſploſa fuerunt. Obſides qui in terra manſerant, à Luſitanis petierant, vt vrbem *Sanctenſem* viſere ſibi permitterent, obtinere tamē illud non potuerant. Cùm igitur venator ad claſſem rediiſſet, animaduertens Admiralius fraudulenter eos agere, vt tempus, quod pretioſiſſimum ipſis eſſet, fruſtra tereretur, ad conſultationem omnes Præſides ſenatoresque vocauit. Accipiebant tamen interim à Luſitanis fructus varios, itemque porcos, gallinas, ſaccarum & alia. Mittebant autem die poſtero ſeptem liburnicas cum armatis aliquot ad *San-Vincentium*. Sequebantur mox venator & venatio multis hominibus refertæ, inter quos Admiralius ipſe & multi inſuper ducti cernebantur. Tres ex illis in terram cum vexillo albo egreſſi literas Luſitanis attulerunt, illis lectis diſplicere ſibi oſtenderant, itaque paulò altius verſus flumen profecti ſunt, ibiq; ædes inuenerunt, ab Antuerpienſibus quibuſdam, qui *Scotſii* vocati ſunt, eleganter admodum extructas & templo, quod *Signora de Negues* appellatum decoratas, ad quas cum ſupellectile ſua Luſitani confugerant. Erat autem locus ſaccaro diues, & admodum amœnus, itaque cum fructus aliquos decerpſiſſent, ad naves reuerſi ſunt.

Petuntur inſidiis à Luſitanis & Syluestribus.

Admiralius deinde cum venatore & venatione, *Sanctum* verſus excurrit, ſed cum ingens imber ingrueret, & homines nullos reperire poſſent, ad claſſem redierunt. Deinde cum ſex liburnicis probè inſtructis ad locum, in quo pridie fuerant, contendit, ibiq; vt venationem, quæ tardius aliquantò ſequebatur, expectarent, ad terram applicarunt, in qua ruinoſæ quædam ædes cernebantur. Ibi fructus quoſdam reperiebant, cumq; in decerpendis illis occupati eſſent, Luſitani atque Sylueſtres, qui poſt rudera iſta ædificiorum latebant, ſagittis eos abſque tamen vlla læſione impetierunt, Sclopetarii autem Hollandorum eos ſclopetis ſuis facilè fugarunt. In diſceſſu triginta ſclopetarios in ruinis abſconderunt, qui in Luſitanos fortè reuerſos irruerent, at illi eo per explorationem cognito, ſeſe continuerunt. Sclopetariis igitur in lembos iterum receptis, ingruente magna tempeſtate, cum magna pomorum auranciorum copia ad claſſem reuerſi ſunt.

Intercipiunt nauem Luſitanicam.

Altero die concluſum à ſenatu fuit, quia tempus elapſum eſſet, vnicam adhuc expeditionem tentandam, primaq; commoda tempeſtate vela rurſus facienda eſſe. Tres itaq; Liburnicæ in inſulam quandam ad carpendos fructus miſſæ fuerunt, vix autem appulerant, cum aduentantem rectà ad inſulam nauem conſpexerunt. Nuncio itaque ad claſſem confeſtim allato, quatuor eò liburnicæ cum armatis præmiſſæ ſunt, ſequebatur Admiralius & Vice Admiralius in venatore, quos deinde venatio excipiebat. Nauis iſta adueniens, cum Hollandos vidiſſet, in altum ſtatim vela conuertit, verum cum propter Malaciam euadere non poſſet, deditionem fecit, moxque Admiralius & alii in eam tranſierunt.

Luſitani quidam capiuntur.

Erat nauis iſta triginta onerum capax, ad formam Gallicam facta. Veniebat autem Liſabona per *Rio de Iauero*, atque in eo loco domicilium, qui ea vehebantur, habebant. Inerant enim octodecem Luſitani, duo minora tormenta & ſclopeta quædam ſecum habentes. Ingreſſis Hollandis trepidantes fatebantur, eſſe ex eorum nnmero decem vel duodecim in *Rio Iauerio* captiuos. Nihil autem quod alicujus momenti eſſet, in naui præter ferrum, goſſypium, oleum, ſal & alia id genus repertum eſt. Inclinato die captiuorum aliquis cum Luſitanorum literis adventabat, miſſus nimirum vt de captiuorum aliarumque mercium permutatione cum ipſis ageret.

Accipiunt literas ab Hiſpanis.

Expoſitum interea in littore pacis vexillum conſpexerunt, eoq; profectus Fiſcalis cum duobus lembis affixas ad palum literas reperit, easque ad Admiralium detulit. Hiſpanicum autem ingenium ſapiebant, omne enim commercium recuſabant, & ne vmbram quidem Flandros cum Luſitanis permutaturos aſſerebant, ſi quid vellent armis conarentur, & quamprimum ex finibus iſtis diſcederent.

Admi-

Merces ex Luſitanica naui ex portantur.

Admiralius miſericordia erga ſuos commotus, quanquam ſeuerè tractandi captiuos non deeſſet occaſio, iterum tamen tentauit, an vlla concordiæ ſpei affulgeret. Iuſſit itaque, ut Luſitani ad amicos ſuos, & maximè ad Eccleſiaſticos ſcriberent, miſitq; captiuum vnum cum duobus infantulis, qui literas perferrent. Hic ad terram appulſus Luſitano cuidam eas tradidit, qui afferendi poſtero die reſponſi curam in ſe recepit. Poſt meridiem ex intercepta naui merces tranſtulerunt, vt miniſtros quoſdam ſuos panno goſſypino veſtirent. Repererunt autem plurimas reliquias, cruces, indulgentias, & inter alia duos egregios manuſcriptos codices, pulchras imagines, picturas, inauratam ex argento coronam, cum alia argentea ſupellectile. Erant ibi etiam duo mancipia & alia nonnulla, quæ ad Ieſuitas pertinebant. Omnia illa Admiralius quidem permutare cum captiuis cupiebat, ſed Hollandi bonorum iſtorum reſtitutionem facturos ſe modis omnibus negabant, nec quicquam etiam captiuorum Luſitanorum preces ad ſuos proficiebant.

Nauis Luſitanica comburitur.

Nouam autem cum ſeptem lembis in terram expeditionem faciebant, accedentibusque ad littus eiuſdem cum præcedentibus tenoris literæ traditæ fuerunt, perrexerunt itaque ad ædificium quoddam, illudque, cum in circuitu pomorum auranciorum & citriorum quantum vectare poterant, accepiſſent, Luſitanorum contumeliis irritati accenderunt. Diſcedentes deinde Luſitani ex ſylua telis aliquot, irrito tamen ictu, petierunt. Reuerſi ad claſſem, nauem iſtam captiuam accenderunt. Ex literis autem illis colligere erat, non modo ad iſtum, ſed & ad loca alia de aduentu ſuo literas miſſas fuiſſe, vt de proditoribus in patria exiſtentibus, ſuſpicari inde inciperent.

Fugantur à Barbaris eosq; in fugam viciſſim vertunt.

Vltimo Ianuarii paulò ante lucem ad locum quendam, in quo hactenus nondũ fuerant, cum quatuor lembis excurrerunt, ſed acuta & montoſa, obſitaque hominibus barbaris terra eos inde abſterruit, itaque adſpirantibus nonnihil ventis ſignum ab Admiralio datum eſt, moxque leuatis anchoris vela facere cœperunt, verum eas rurſus projicere Malacia coacti fuerunt. Miſit igitur Admiralius duos lembos cum quinq; ſclopetariis vt recentem aquam afferrent. Dum autem implendis vaſis occuparentur, Barbaros ex proximo nemore prorumpentes denſiſſimum in eos ſagittarum imbrem miſerunt, ſequentibus à tergo Luſitanis & baculis eos propellentibus. Hollandi poſt aliquot ſclopetorum ictus, ſtatim ad lembos confugerunt, atque in vnum omnes ſeſe receperunt, propterea quod alterum hoſtes abſtulerant. Procedentes autem occurrerunt aliis quatuor Hollandicis lembis moxque cum illis ad terram reuerſi ſagittis barbarorum ſclopeta oppoſuerunt, illisq; fugatis, lembum ſuum, quem in aquas demerſum recuperarunt, & ad claſſem reuerſi fuerunt. Erant autem quatuor ex Hollandis interfecti, hoſtes vero omnes, tribus tantum exceptis, vulnerati, qui caſus ſola nautarum negligentia accidit, quia ſcilicet ſuperiorum mandatis non obſecuti, nec ſatis muniti ad terram iſtam aduecti fuerant.

Luſitani quidam captiui dimittuntur

Sub initium Februarii Admiralius ex Luſitanis illis captiuis quatuor dimiſit, reliquis ad claſſis ſeruitia retentis, erat autem inter illos quidam Petrus Alueres nomine, qui promiſerat ſe captiuos Hollandos benè habiturum & vt in libertatem reſtituerentur, omni diligentia procuraturum. Habebat is vxorem & liberos ſecum, itaque Admiralius pecuniam in viaticum ipſi dedit, pro qua ipſe, vt moris apud Luſitanos eſt, magnas ipſi gratias agebat. Illis dimiſſis Admiralius profectionis ſignum dedit, mox tamen ventis omnibus quieſcentibus ſubſiſtere coacti ſunt. Rupta autem erat Admiralis anchora, cumque in ea reparanda occupati eſſent, Luſitanus quidam ad claſſem appulit, allatoque cum Gallis & Pomis aliquot pſittaco, affinem ſuum, qui captiuus adhuc erat, liberum dimitti habita ratione vxoris & ſobolis eius petiit, ſeque ipſum loco eius accipi in captiuitatem petiit, cumque id Admiralius ipſe denegaret, cum muneribus ſuis triſtis diſceſſit.

Nebulæ in mari denſiſſimæ.

Reparata Anchora, mare iterum ſunt ingreſſi, decretumque à ſenatu fuit, vt quamprimum altitudinem *Rio de Plate* attigiſſent, expoſito Principis vexillo, ſignum Admiralius daret, & naues ad littus magis flecterent. Habebant autem tum 38. graduum, & 49. ſcrupulorum altitudinem. Eodem curſu & vento ad Calendas Martias vſi, 46. graduum & totidem minutorum altitudinem attigerant. Eo die nebulæ tam denſæ erant, vt nihil proſpicientes ſignum ſibi inuicem diſploſionibus dare cogerentur, ne à curſu aberrarent.

Perueniũt ad Rio Galeges.

Quinto Martii altitudinem 50. graduum nacti, fumum è longinquo viderunt, littus igitur legentes, terram planam & ſterilem deprehenderunt. Erant autem in conſpectu ipſorum nouem montes, ex quibus fumus iſte aſcendebat. Progredientes igitur juxta littus deprehenderunt tandem fluuium iſtum *Rio Galeges* eſſe, latum quidem, ſed non vſque adeo profundum. Primo aſpectu arbitrabantur aliqui Magellanicas anguſtias eſſe, ſed decepti

erant,

erant, quia anguſtiæ iſtæ altitudinem 51. graduum & 30. minutorum habere poſtea depræhenſum fuit. Magna autem exorta tempeſtate, & Admiralius anchoram rupto rudente amiſit, & claſſis diſiecta fuit, quæ cum 8. Martii iterum conueniſſet, & terra altiſſima ſe eis obtuliſſet *le Fougue* eam eſſe putarunt. Aberant vero à *Capite Virgineo* ad leucas quatuor, videbanturque recta in terram *Fougue* incurſuri, ſed diuina prouidentia commutato vento ſeptentrionem verſus abrepti ſunt, eoq; vada omnia euaſerunt.

Nocte ea, vento iterum conuerſo, Venatio, quæ lumen cæteris præferebat, tormentum exonerauit, eoque facto vela rurſus à ſeptentrione in orientem verſa ſunt. Cum tempeſtas remiſiſſet, altitudinem 50. graduum & 20. minutorum depræhenderunt. Reuerſæ ſunt autem 20. Martii ad claſſem duæ naues, Larus nempe & Venatio, quæ ab octauo hactenus abfuerant. Iam vero ad anguſtias Magellanicas delatæ fuerant, ibique Luciferum apud inſulas *Piguinas* reliquerant. Triſtem autem nuncium Larus attulit, ortam nempe in naui iſta diſſenſionem fuiſſe, eamque non componi potuiſſe, ſeditioſis anchoram abſcindere volentibus, donec qui rei depræhenſi fuerant, in mare præcipitati eſſent.

Diſſenſio in Lucifero naui exorta.

Die 29. Martii promontorium ſiue *Capo Virgineum* aſſecuti ſunt, tametſi autem multum laborarent, anchoras tamen propter vadi mollitiem firmare non poterant, dato igitur profectionis ſigno ad nouem montium terram appulerunt. Altero die Admiralius ad *Caput Virgineum* curſum ſuum iterum direxit. Erat autem ibi littus, Anglico littori planè ſimile. Animaduertens autem periculoſa ibi vada eſſe, curſum iterum ad mare flexit, vbi ei Luna, Aeolus & Venator occurrerunt, quæ ſimul ad terram *de Fougue* ab anchoris ſteterant.

Peruenitur ad caput Virgineū.

Magna erat ventorum contrarietas, itaque rumor exortus inter eos fuit, tam magnis nauibus anguſtias iſtas ſuperari & tranſiri non poſſe. Quidam igitur hybernare volebant in portu *Deſirado*, vbi Candiſius & Oliuerius ante hæc tempora quoque ſubſtiterant. Alii iudicabant curſum ad caput bonæ ſpei dirigendum eſſe. Admiralius verò quid faciendum eſſet interrogatus, reſpondit, habere ſe in mandatis vt Magellanicum fretum tranſiret, viderent igitur vt ſe non deſererent, eaque reſponſione murmuratio omnis ſublata fuit.

Admiralius ſuos ad conſtantiam hortatur.

Die 28. Martii fretum ſive anguſtias Magellanicas flante Zephyro ingreſſi ſunt, Larus autem per noctis tenebras aberrauerat, cum igitur ea non appareret, ſuſpicari quidam cœperunt propter ſupplicium eorum, quos ſupra per ſeditionem in mare præcipitatos diximus, nauem eam curſum ſuum aliò conuertiſſe. Sequenti autem die ruens ex anguſtiis æſtus ſubſiſtere eos coegit, cumq; progredi iterum vellent, ingenti exorta tempeſtate eiecti iterum ex anguſtiis fuerunt.

Ingrediũtur fretum Magellanicum.

Secundo Aprilis anguſtias rurſus ingreſſi ſunt ad ſeptentrionem paulatim flectentes, donec ad 25. cubitos anchoras proiecerunt. Habebant ibi ſtationem ſatis commodam. Sequenti autem die progreſſi, breuia vndique & cœca vada repererunt. Poſt primum freti iſtius ingreſſum, vadum ad dimidiam leucam latum depræhenderunt, eratque ibi quadraginta cubitorum profunditas, non tamen fundus qui anchoras reciperet. Conſpexerunt autem ibi ad terram *de Fogue*, immanis admodum & horrendæ longitudinis hominem, qui colles aſcenderat, vt naues iſtas contemplari poſſet. Terra ibi Selandiæ tumulis non abſimilis admodum arenoſa erat ſuperatis vero primis anguſtiis, anchoras ad ſedecim cubitos proiecerunt, & Deo, quod primo iſto periculo defuncti eſſent, gratias egerunt.

Homo quidam ingẽtis magnitudinis viſus.

Poſtero die mediocri frigore & tempeſtate percommoda vſi fuerunt, circa veſperam autem ventus contrarius ad ſecundæ anguſtiæ angulum anchoras eos iacere coegit. Altero die tempeſtas eos ad locum vbi quartam ſtationem habuerant, reiecit. In terram autem deſcendens mercator quidam homines ibi nullos, duos tamen Struthiones qui curſu equos præcellebant, fluuium quoque magnum recentis aquæ, conſitum arbuſculis, baccas nigras ſuauiſſimi ſapori geſtantibus, inuenit. Terræ iſtius caput ab ipſis *Viana* appellatum fuit.

Duo Struthiones reperti.

Porro progreſſi ad ſecundæ anguſtiæ angulum, *Piguinas* inſulas acceſſerunt, earum vnam quæ ad auſtrum tendit, *magnum littus*, mediam *Patagones* ſeu Gigantum inſulam, & tertiam quæ ſeptentrionem verſus eſt, *teſtaceam* appellarunt. Admiralius miſſo Fiſcali cum militibus quibuſdam ad magni littoris inſulam, inquirere eum ex nauibus iuſſit, ſi quæ fortè tranſiiſſent; Inuenit autem literas Luciferi ad palum allegatas, quæ nauis 25. Martii inde diſceſſerat. Miſſi quoque ad teſtaceam inſulam, inuenerunt palum cum manipulo abſque literis, vnde iudicatum fuit, & eum à Lucifero ibi poſitum fuiſſe.

Piguinæ inſulæ

Cadauera duo ſepulta ab Admiralio reperta.

Acceſſit vero & ipſe Admiralius ad magni littoris inſulam, ibiq; duo cadauera reperit, more gentis exigua terra tecta, & arcubus ſagittiſq; affixis exornata. Erant autem pellibus inuoluta, vnum juſtæ ſtaturæ, alterum duos cum dimidio pedes longum. Collo circumdata erant roſaria ſiue orbiculi margaritarum inſtar fulgentes & artificioſè confecti. Illis terræ rurſus mandatis ad nauem ſuum Admiralius rediit. Progreſſi vero, ſeptentrionale littus legerunt vſque ad veſperam, qua aduentante ſub terra ſtationem fixerunt.

Philippi ciuitas deſolata.

Inſulæ iſtæ ſteriles erant, à piguinibus perfoſſæ, vt Hollandici tumuli à cuniculis. Die autem 10. Aprilis ad pulcherrimum portum venerunt, in quo Hiſpani olim ciuitatem, nomine *Philippi* excitarant, quæ jam corruit. Proiecerunt autem anchoras ad 15 cubitos, cumq; dies iterum facta eſſet, Admiralius cum duobus inſtructis lembis terram petiit, ſed nihil quicquam in ea præter dulcem aquam, multis ferarum, eò ad potum venientium, veſtigiis circumdatam, & tria deſerta tuguria reperit.

Perueniūt ad tertiam freti Magellanici anguſtiā.

Progreſſi deinde ſeptentrionale littus legerunt, illudq; arboribus multis conſitum & planum depræhenderunt, ita vt conſitam aliquando ab Hiſpanis fuiſſe terram omnes putarent. Vadum ibi niſi omnino ſub terra non reperiebatur. Sub veſperam fixerunt anchoras ad 30. cubitos, atq; ad ſclopeti jactum à terra. Admirationi autem ipſis erant in loco iſto ad auſtralem partem, ſito amœniſſimæ ſyluæ, multis pſittacis refertæ. Admirabantur præterea tranſitum quendam ſub eleuatione 34. graduum, per quem in altum proſpectus erat. Prouenerunt autem 12. Aprilis ad ingentem quendam angulum, qui fidam nauibus ſtationem præbiturus videbatur. Hic montes non aliter atque aſperrima apud nos hyeme niuibus oppleti erant. Inde ad tertiam vſq; anguſtiam profectis, varius circa veſperam ventus obſtitit.

Portus piperis.

Præmiſſo autem ad portum quem *Concharum* putabant, lembo Admiralius poſtmodo ipſemet in terram deſcendit, ſed nihil in loco iſto præter aquam dulcem inuenit. Reperiebantur etiam arbores ibi, quarum corticibus vis aliqua piperis inerat, vnde locum iſtum piperis portum appellarunt, quanquam & alibi tales arbores inuenirentur. Inde profecturos ventorum varietas detinebat, & integro biduo in anchoris perſeuerare cogebat.

Naues aliquæ ſuperato freto Cordes portum aſſequuntur.

Ceſſante ventorum contrarietate ſtatim ſublatis anchoris per *Concharum* portum tranſierunt, eratq; ibi terra aliquantulum eleuata & niue aſperſa. Exonerato autem tormento Admiralius nauibus, ſi quæ in proximo eſſent, ſignum dari voluit. Circa veſperam fumum videntes, diſploſionem iterum fecerunt, accedens autem non multo poſt lembus ſignificauit, naues ipſorum in *Cordes* portu jaciendis anchoris occupari, diuina igitur gratia factum crediderunt, quod tantæ magnitudinis naues, tempeſtate contraria tam periculoſas anguſtias pertranſiiſſent, quæ ſeparatæ ab inuicem fuerant, cum primam anguſtiam ſuperaſſent.

Syluestres diſploſionibus ſclopetorum terrentur.

Sub veſperam cum anchoras proieciſſent, Vice-Admiralius, Mercatores & Nauarchi ex reliquis nauibus accedentes, quæ ſibi accidiſſent, cum gaudio referebant. Fuerant cum ipſis in littore Barbari multi cum vxoribus & liberis, illiſq; Luciferi Nauarchus cultellos & munuſcula alia, itemq; vinum Hiſpanicum obtulerat, qui illud ſibi admodum ſapere certis ſignis oſtentarant, & ipſi margaritas contra in formam cornu artificioſè factas reddiderant. Reuerſi tamen in poſterum non fuerunt, iaculationibus ipſorum, vti videbatur, perterriti, quibus Hollandi quotidie anſeres, anates & aues id genus alias petere ſolebant.

Nauibus de commeatu proſpectū.

Congregato poſtmodum ſenatu concluſum eſt, vt per dies octo ad conquirenda neceſſaria eo loco manerent. Eo tempore nauibus abunde prouiſum fuit, conchis in primis quarum ibi magna copia, ſuntq; tantæ bonitatis vt oſtrea etiam excedant, aqua item recenti & rebus aliis. Admiralius autem claſſis vniuerſæ primariis Nauarchis & moderatoribus ad nauem ſuam inuitatis, lauto admodum conuiuio eos excepit, vinoq; Hiſpanico & Gallico, cereuiſia item Batauica, necnon ſuauiſſimo vocum & inſtrumentorum muſicalium concentu eos exhilarauit.

Inueniunt portum commodum.

Die 24. progreſſi angulum quendam ſuperarunt, erant autem ex oppoſita parte plurimi homines, qui ignem ibi accenderant. Lembo autem aduectus aliquis, ſignum ipſis remo dedit, propius accedere non auſus. Circa veſperam anchoras proiecerunt ſub exigua inſula, juxta quam aliæ ſeptem vel octo ſitæ erant. Miſit vero Admiralius tres lembos ad diuerſas partes ad ſtationem commodam indagandam, qui tandem egregium portum inuenerunt media leuca ab ipſis diſtantem, ad quem eadem adhuc nocte contenderunt.

Tranſitus ex freto Magellanico in mare auſtrale.

Poſtero die progreſſi tranſitum inuenerunt in mare auſtrale. Eum Admiralius & alii rectum eſſe iudicabant. Non ignorabant enim tranſitum ibi ad auſtrum eſſe, quemadmo-

admo-

admodum ex Indicæ orientalis hiſtoria à patre Ioſepho de Coſta Hiſpanice conſcripta, & à Iohanne Hugone Lintſchotano translata, in fine decimi capitis patet, cum quo & alii Hiſtorici conſentiunt, qui teſtantur in freto Magellanico tranſitum à latere ad vaſtum mare, & per Chileſium eſſe, ſed ipſis fretum Magellanicum præſcriptum erat, vt tranſitum per illud aperirent. Progreſſi igitur 29. Aprilis ad portum quendam, quem vigeſimum quintum jam inuenerant, anchoras proiecerunt ad 26. cubitos. Erat autem inſignis portus, rubris & cæruleis baccis conſitus, & aquæ dulcis flumine, quod à ſummo montis cacumine per ſyluas in mare decurrebat, donatus. Quin & concharum ibi aliarumque rerum magna erat abundantia. Delectatus itaq; hoc portu Admiralius, ſuo eum nomine *Spilbergium* vocauit.

Portus elegans Spilbergius dictus.

Calendis Maji Admiralius Luciferi Nauarchum & alios in lembo ad rectam viam indagandam miſit, paululum autem progreſſi pulcherrimas in terra aues conſpexerunt. Earum intuitu allecti ſociorum aliqui impetrata venia ad eas capiendas exſcenderunt. Vix autem terram attigerunt, cum Barbari aliqui clauis armati in eos irruunt, itaque duobus interfectis reliqui duo elapſi ſunt. Admiralius igitur hoc cognito, excendendi veniam conceſſam fuiſſe ſuccenſebat.

Duo à ſylueſtribus cæſi.

Electi ſunt poſtmodum in defunctorum numerum, noui nauium rectores, profecti autem ſequenti die cum pulcherrima tempeſtate, in pulcherrimo portu iuxta limpidiſſimum dulcis aquæ fluuium anchoras fixerunt, cumque ea nocte Admiralis famulus Abrahamus nomine, moreretur, ſepelientes eum juxta fluuium Abrahami vocarunt. Præmiſſus deinde Aeoli lembus ad ſtationem commodam quærendam & Admiralius eiuſq; Vicarius cum inſtructis tribus lembis ad fluuium ſpeculandum profecti, fluctuum violentia adeò propulſi fuerunt, vt vix octo adhibitis remis regredi ad claſſem potuerint: in ingreſſu fluuii palas viderant, quaſi ad piſcandum diſpoſitos, erantque in ripa ſylueſtrium quædam tuguria, ſed homines inde ad ſyluas profugerant.

Noui in claſſe Rectores electi.

Reuerſis ad claſſem Admiralius lembum dimiſſum expectauit, qui nocte, nulla ſtatione inuenta reuerſus, nimiam vbiq; profunditatem eſſe retulit. Conuocatis igitur nautis conſultauit, an proficiſcendum eſſet, concluſumque eſt duos alios lembos ad explorandum vadum præmittendos eſſe. Hoc facto ſublatis anchoris curſum verſus occaſum direxerunt. Ad littus ſeptentrionale canalem conſpiciebant eiuſdem cum freto Magellanico longitudinis, in quem magno impetu æſtus ruebat. Progredientes autem ſignum ſubinde diſploſis tormentis præmiſſis lembis dederunt, vt de aduentu ſuo admonerentur.

Nimia in freto profunditas.

Inclinante die redeuntes lembi ſignificarunt, non procul abeſſe anguſtiæ egreſſum, cum igitur ventum haberent ſatis commodum, tota nocte procedendum judicarũt. Opponebant ſe ſe aliqui, ſubſiſtendum ibi & lucem expectandum aſſerentes, cum nimirum inter eleuatas terras ad *Caput Mauritii* commode ſubſiſtere poſſent, cum autem ventus fauere magis magiſq; inciperet, controuerſia dirempta fuit, & ſane horribile aſpectu erat, cum tantis nauibus inter altiſſimas terras, in ea profunditate, qua anchoræ figi non poſſent, nocturno tempore progredi. Dilatabantur autem paulatim anguſtiæ, ita vt rectè in altum proſpicere poſſent, interim Admiralii nauis ad littus auſtrale propellebatur, ſignum igitur lembis tormento datum: vt ei auxilio eſſent, ſed illi vix aduenerant, cum ſubito melior ventus afflauit quo facto die nocteque feliciter progreſſi fuerunt.

Peruenerunt ad caput Mauritii.

Exorto die, angulum auſtralem viderunt, cacumine ſuo, quaſi ignis turriculos diſcriminatum. Pergentes autem vſque ad littus ſeptentrionale multis inſulis & ſyrtibus periculoſum, tandem eo ipſo die, qui erat 5. Maji, in mare auſtrale peruenerunt. Creſcente igitur vento, lembos ſuos intra naues accipere coacti ſunt. Admiralii autem lembus tempeſtate conuulſus, & ab vndis planè abreptus fuit, erantque non in exiguo diſcrimine, metuentes ne ad inſulas allidarentur, tempeſtate ſcilicet cũ continuis imbribus per totam noctem durante.

Peruenerunt in mare auſtrale.

Multæ ibi conſpiciebantur inſulæ in auſtrali mari ad freti Magellani finem ſitæ, quas *Sorlingas* vocarunt, ob earum quæ in Anglia ſunt ſimilitudinem. Periculoſæ autem admodum ſunt propter ſyrtes, & eleuatas maximè terras abſque vado, in quo anchoræ figi poſſunt. Auſtrale promontorium dictum eſt *Capo Deſirado*, habetque mirabilem formam, & eo ſuperato tempeſtas ferè incumbit ad aliorum periculorum complementum. Die 7. Maji validior ventus exortus verſus ſeptentrionem eos compulit, ita vt contracto ſuperiori velo tota nocte curſum obliquare cogerentur. Ventus iſte ad nonum vſque Maji perdurauit, quo die 50. graduum altitudinem habuerunt.

Inſulæ Sorlinges.

Cum proceſſiſſent vſque ad diem 21. aperuit ſe eis terra *Chili*, videruntq; inſulam, quam *Lamocha* judicarunt, inuenientes ibi vadum optimum 38. cubitorum. Biduo poſt inſu-

Peruenerunt ad inſulam Lamocham.

lam *de Lamocha* clarè aſpexerunt, moxque ad eam plenis velis perrexerunt, & ad moderandum curſum ſuum, ſupremum velum contraxerunt. Sequenti die tametſi vltra duas vel tres leucas à terra non abeſſent, propter ventum tamen aduerſum, aſſequi eam non poterant, obliquato igitur tota die curſu, anchoras vno ab inſula miliari fixerunt. Terra erat humilis & lata verſus ſeptentrionem, ſcopuloſa verò verſus Auſtrum, & mare ad ſcopulos iſtos allidens clarum ſonum edebat. Prima luce concluſum à conuocato ſenatu fuit, vt duo lembi mercibus variis & valido præſidio inſtructi ad terram mitterentur.

Commercia cum Lamochanis.

Admiralius cum ſenatoribus aliquot & valido præſidio ad terram profectus, reperit incolas in littore plurimos, qui oues, gallinas & volatilia plurima ipſis offerebant. Ad nauem deinde reuerſus Admiralius Inſulæ Dynaſtam cum filio eius ſecum adduxit, ſumptoq; prandio, nauem ipſi & tormenta omnia bellica oſtendit, quæ cum ad oppugnandos Hiſpanos allata audirent, gaudium maximum præ ſe ferre viſi ſunt.

Princeps de Lamocha pernoctat in naui Admiralii.

Manſerunt autem totam noctem apud Admiralium, & lautà rurſus cœna ab ipſo excepti fuerunt. Poſtero die Admiralius milites ſuos omnes armatos in aciem quaſi diſpoſuit, mire ipſis arridente ſpectaculo, qui paulo poſt ab vniuerſa claſſe ad terram deducti & tormentorum diſploſione honorati, ad ſuos iterum reuerſi ſunt. Exercentes autem cum inſulanis iſtis commercia varia, ſecures, cultellos, corallium & alia id genus cum ingenti ouium multitudine permutarunt, duas enim ſatis pingues oues pro vna ſecuri dabant, magnam inſuper humanitatem & beneuolentiam præ ſe ferentes, ad tuguria tamen & ad vxores ſuas neminem adducebant, ſed merces omnes ad lembos ipſimet magna copia afferebant, cumq; mercium nihil amplius deſiderarent, manibus innuerunt, vt diſcederent, quo viſo ſublatis ſtatim anchoris ſeptentrionem verſus vela fecerunt.

Oues mirabiles, quibus ad agriculturam vtuntur.

Acceperant ibi ad centum oues ſatis pingues, alba, vt noſtratium, lana. Inter eas vna erat procero admodum collo, gibboſa & ore lepori no, præaltisq; cornibus prædita. Eius generis ouibus, equorum & boum inſtar ad agriculturam vtuntur. Acceperant præterea ingentem gallinarum aliorumque volatilium multitudinem, quibus ſe quàm optimè recrearunt, dederuntq; ipſis in compenſationem aliquot ſecures, cultros, induſia, pileos & alia id genus, ſummaque cum beneuolentia diſceſſerunt, cum optimè morati viderentur; & ad Chriſtianorum mores quam proximè accederent.

Perueniūt ad inſulas San-Mariæ.

Ab inſula iſta progreſſi, die 28. Maji Aquilonem verſus contenderunt, ita vt in meridie continentem intuerentur, quam *San-Mariam* eſſe putabant. Admiralius quidem ſenatum conuocabat, ſed cum conuenire ſtuderent, venator in Admiralium tam fortiter impegit, vt naues quaſi cohærentes, vix ſummo labore, & non ſine magno damno velis nempe & aliis ruptis, diuelli ab inuicem poſſent, ſub veſperam peruenerunt ad littus inſulæ iſtius, quam *San-Mariam* eſſe putaverant. Erat autem terra prærupta & acuta rupibus, ideoq; in altum iterum conuerſi, tota nocte ad lucem vſque, modo accedentes, modo recedentes laborarunt. Sequenti die, cum non procul à terra abeſſent, littus legentes, ad *San-Mariæ* conſpectum proceſſerunt, cumque circa meridiem in portum veniſſent, anchoras ad ſex cubitos projecerunt.

Quidam ex inſula S. Mariæ ad naues adducti.

Paulo poſt viginti ſex equites lanceis armatos hincinde obequitantes conſpexerunt, conuocato itaque ſenatu, ex ejus ſententia Fiſcalis ad terram cum lembis aliquot probè inſtructis & armatis miſſus eſt, vt ſcilicet exploraret, an gratia aliqua cum Indianis haberi poſſet. Reuerſus deinde Fiſcalis duos ex inſula iſta, Hiſpanum vnum, & alterum Indum ſecum afferebat, relicto apud illos ex ſatellitibus aliquo obſide. Inſulani iſti per totam noctem apud eos in naui fuerunt. Animaduerterant autem primo aduentu ſuo nauem quandam ad angulum ſtantem, ſed ea ipſis viſis fugam ſtatim arripuit. Ad boreale inſulæ latus vadum erat, tribus & amplius leucis in mare excurrens. Cum dies illuxiſſet, Admiralius milites ſuos in aciem quaſi diſtributos Hiſpano exhibuit, deinde ad Vice-Admiralium abduci eum iuſſit, vbi ſimiliter armatos ordine diſpoſitos inuenit. Sclopetorum autem & tormentorum diſploſione honoratus, cum Vice-Admiralio, Mercatoribus item & Ducibus aliquot ad prandium inuitatis, in terram iterum delatus fuit.

Præda potiuntur in inſula San-Mariæ.

Cum diſcumbere jam vellent, miſſus ad eos venatoris lembus, aperuit viſam eſſe è naui, ingentem armatorum hominum turbam, rectà ad locum, in quo pranſuri erant, tendentem. Illi igitur eo audito fugam ſtatim arripientes Hiſpanum illum captiuum ſecum ad claſſem adduxerunt. Poſtero die Admiralius cum tribus militum vexillis in terram proficiſcebatur, ſed nondum exſcenderant cum ſubito Hiſpani incenſo templo ſuo profugerunt. Eos inſecuti magna præda ouium, gallinarum & aliarum rerū potiti ſunt, commiſſo autem

præ-

prælio, duo tantũ vulnerati ex ipſis fuerunt, Hiſpanis quatuor occiſis, qui cũ equites eſſent apprehendi ab Hollandis non tam facile potuerunt. Reuerſuri ad naues manſiones eorum rebus omnibus apprimè inſtructas diripuerunt, quæ cum ex Hiſpanicis arundinibus maximam partem extructi eſſent, incendium maximè conſpicuum præbuerunt. Acceperunt ibi ad quingentas oues, præter prædam aliam. Inſula enim iſta fertilis ſatis & ſalubris eſt, auri argentique fodinis caret quidem, ſed frumento tamen, hordeo, piſis, ovibus, gallinis & aliis rebus ſatis abundat.

Leges navigantibus in mari auſtrali præſcriptæ.

Antequam vlterius progederentur, Admiralius ſenatu congregato, neceſſarium putabat, vt leges quædam conſtituerentur, quas tanquam præſcriptum quendam ordinem omnes in claſſe milites, nautæ & mercatores obſeruarent. Habito itaque conſilio, ordinem hunc, omnibus in mari iſto auſtrali, eleuationem 37. graduum poli antarctici habente, tum nauigantibus, ſeruandum præſcripſit, volens nimirum, vt Duces & Nauarchi ſinguli ordinem hunc à ſuis accuratè ſeruari curarent. Bellici apparatus Præfectus cum ſocio & ſclopetariis attenderent, vt tormenta & ſclopeta omnia parata eſſent. Tormentis non niſi ea tractandi peritos præficerent. Globos, funiculos, lucernas, & alia neceſſaria, in promptu haberent. Puluerem tormentarium pro ſingulis tormentis paratum & ſuo loco repoſitum haberent, ſufficientem nempe decem diſploſionibus; ne inter dimicandum conclaue, in quo puluis iſte aſſeruatur, ingredi neceſſe ſit. Vaſculum autem pulueris in loco inferiori & ſatis amplo à periculo nempe omni remoto collocaretur. Ad pugnandum non niſi periti adhiberentur, qui tales ſe, quales petantur, exhibeant. Ad ſingula diligenter attenderetur, & vt adeſſent qui defenderent, offenderent, tormenta curarent, vela dirigerent, opera daretur. Fabres cura incumberet præparandi quæ ad pugnam neceſſaria erunt. Nauarchi etiam attenderent, vt quiſque officio ſuo ſatisfaciat, & omnia nautica inſtrumenta, armamentaque tam ad defenſionem quam ad offenſionem in promptu habeat. Qui clauum gubernant, ſingularem in primis adhiberent diligentiam, vt naues dirigerentur, inflecterentur, promouerentur, & juſto tempore appellerentur. Attenderetur quoq;, vt in prora & puppi vaſa aquis plena, ſcalæque adſint, ad arcendum ſi fortè ingruat incendium. Prælii etiam tempore, naues vndique aqua aſpergerentur, ne fortè fomes vel ſcintilla aliqua à funiculo prolapſa in puluerem caderet, & incendium eo accenſo faciat.

Admonentur de Hiſpanorum inſidiis.

Cognouerant ab Hiſpano, quem ſecum adhuc habebant, tranſiſſe illac in Aprili tres naues, mille Hiſpanis inſtructas, earumque maximam quadraginta tormentis, reliquas verò paucioribus, ſeruata magnitudinis proportione inſtructas fuiſſe, eo ſcilicet fine, vt ſe inquirerent, de quorum aduentu jam ante aliquot menſes edocti fuiſſent. Hoc accepto nuncio, perſequi naues iſtas omnino, atq; primo in inſula *Conceptionis*, deinde in *Valperiſa*, tertio ad littus *Aricæ*, inde enim *Pannaram* profecturæ dicebantur, inquirere ſtatuerunt. Admonebat item eos Hiſpanus iſte captiuus, de quibuſdam aliis in *Lima* aduentantes præſtolantibus, qui ſimiles Hiſpanis eſſent, & Belgas haberent tormentorum præfectos.

Statura militũ in pugna cum *Hiſpanis* obſeruanda.

De prioribus nauibus non dubitabant, quin appræhenſuri eas eſſent, itaq; præter præcedentes conſtitutiones, hæc quoque fecerunt, & ſuperioribus adiecerunt. Dux militiæ ad producendos forti animo ſuos incumbat, eo autem loco, & non alio eos ſtatuat, quo Admiralius eiuſque Vicarius conſultum & neceſſarium judicauerint. Ipſis abſentibus Nauarchus vicem gerat & ſuppleat, ne per diſcurſum militum oriatur turbatio, ſeruata tamen in omnibus integra mercatorum auctoritate, quibus inconſultis nihil fiat. Inter præliandum nullus miles, niſi Ducis juſſu, locum ſuum deſerat aut mutet. Vulnerati à conſtitutis ad id auferantur. Prælio fortè diu durante, ſi cui deficiat puluis, loco ſe non moueat, ſed pixides ſuas ad id conſtituto inſtruendas tradat. Si hoſtilium nauium magnitudo ſuas exſuperet, caueant Nauarchi, ne nimis arctè coniunctis & cohærentibus nauibus multitudine obruantur. Quod ſi tamen co ntingat, vt propius juſto admoueantur, tormentarii & ſclopetarii milites naues iſtas hoſtiles perforare & demergere ſtudeant. Si hoſtes ſe non coniungant, ipſi hoc faciant, dummodo abſque ſuo periculo id fieri poſſe videbitur. Memores ſint ſemper mandatorum, & cogitent ſibi vlterius proficiſcendum, nec ignorent vix poſſe reparari, ſi quod damnum nauibus inferatur, cum inter medios hoſtes ibi verſentur. Si hoſtiles naues occurrant, Admiralius, Sol & Aeolus Hiſpanicum Admiralium oppugnandum ſibi ſumant. Vice-Admiralius, Luna & Lucifer ſimiliter Vice-admiralium inuadant, cum tertia venator congrediatur. Præſcriptus hic ordo obſeruetur, ſi in mari hoſtis occurrat, verum ſi in portu aliquo aut terra inueniatur, tormentis eum opprimere, & quamproxime coniuncti naues ſubmergere, prout ſeſe occaſio offeret, conentur. Si contigerit ſeptem aut octo naues occurre-

re, (plures enim in auſtrali mari colligere Hiſpani non poſſunt) ſecundo vento procedentes nonnihil obliquando conjuncti maneant. Tum ſi nauium aliquæ celeriores, conſueta ipſis temeritate, acceſſerint, ab omnibus pariter excipiantur. Statutum ſit omnibus mortem potius oppetere, quam in manus hoſtium vllo modo peruenire. Si onerariæ aliquæ naues, alicui nauium ſuarum occurrant, tormentorum aliquot diſploſione ſignum det, & reliquæ omnes ad eas comprehendendas accurrant. Ad conſtitutionem harum obſeruationum Duces ſinguli ſuos hortentur. Maxime verò in id omnes incumbant, vt conjuncti maneant, nec incuria ab inuicem diuellantur.

Aurora Hiſpanorum oppidum.

Factis hiſce conſtitutionibus, & inter milites publicatis, progreſſi ſunt, curſu primum ad continentem, atque inde verſus Aquilonem directo, & anchoras primo Iunii ad 26. cubitos projecerunt. Non longè autem aberant ab *Aurora*, quod oppiduum Hiſpanorum eſt quingentorum militum præſidio munitum, cum quibus *Chileſii* perpetuum bellum gerunt. Vires equidem Hiſpanorum eo in loco validiſſimæ ſunt, vniuerſam tamen terram ſuæ poteſtatis facere, propter bella perpetua, nondum potuerunt.

Conceptio oppidum in inſula Quiriqueina.

Tertio Iunii prima luce profecti littus legerunt, & poſt meridiem inſulam attigerunt, haud longè à continente ſitam, quam *Quiriqueinam* vocant. Poſt inſulam iſtam peruenerunt ad oppidulum *de Conceptione* dictum, in quo præter Indorum plurimos, ducenti Hiſpani erant, ita enim captiuus quem ſecum in naui habebant, Hiſpanus ipſis ſignificarat. Ventus tum ipſis non fauebat vt ad oppidum appellerent, itaque anchoras ad 26. cubitos projecerunt. Manſerunt tum in loco iſto vſque ad 11. eius menſis, ſub eleuatione 33. graduum & 23. minutorum. Concluſum autem ab Admiralio & Vicario eius fuit, vt ad terram proficiſcerentur. Venerunt igitur ad angulum, juxta collem à ſummo montis cacumine decurrentem. Arbitrabantur eſſe *Valpariſam*, ſed contrarium poſtea compererunt, proceſſerunt igitur vſque ad ſolis occaſum, & proiecerunt anchoras ad alium angulum, priori perſimilem, terram pulcherrimam habentem. Admiralius conuocato ſenatu, quid faciendum conſultauit. Inter conſultandum vero, Luciferi Nauarchus accedens, auditum à ſe cornu, & ignem in littore viſum retulit. Tres igitur lembi militibus inſtructi in terram miſſi ſunt, verum illi paucos tantum homines de monte deſcendentes, & beſtias ad littus agentes, quemadmodum etiam ad radices montis tuguria quædam viderunt. Nemo autem eos acceſſit, quia id in mandatis ab Admiralio non acceperant.

Ingrediuntur in portum Valpariſanum

Poſtero die vela rurſus fecerunt, & littus legentes circa meridiem portum *Valpariſanum* ingreſſi ſunt, ſtationem nauibus fidiſſimam ibi reperientes. Ad littus tres Caſæ erant, & ante illud nauis in anchoris ſtabat, qui in ea erant, viſis ipſis, ignem in eam proiecerant, & in riuum aliquem præacutis rupibus clauſum aufugerant. Miſſi ſunt ſtatim lembi aliqui, qui eos perſequerentur, quamuis autem ab Hiſpanis ſclopetariis prohiberentur, tandem tamen perruperunt, ſed præualuerat jam ignis, itaque proficere nihil valentes ad claſſem reuerſi fuerunt, ſolo venatore apud ardentem nauim relicto. Congregato ſenatu & conſultatione habita, Admiralius cum Vicario ſuo & ducentis militibus in terram vectus eſt. Erant ibi Hiſpani plurimi pedites equitesque in armis ſtantes, qui tres prædictas in littore caſas accenderant, ſed propter tormentorum aſſiduam ex nauibus diſploſionem, accedere non audebant, itaque ingruente jam nocte ad claſſem reuerſi ſunt, moxque ſublatis anchoris, vela in altum fecerunt. Media nocte quieuerunt collectis velis, propterea quod portum *de Quintero* tranſire vererentur. Omnibus iſtis locis de aduentu ipſorum fama jam dudum ſparſa erat. Retulit enim, quem captiuum habebant ſecum Hiſpanus, *Rodericum de Mendoza*, tribus ante menſibus, in *Baldauio* aliisque auſtralis maris locis ad ipſos inquirendos cum duabus triremibus, & vna celoce egreſſum fuiſſe.

Perueniũt ad portum de Quintero.

Die 13. Iunii, venerunt ad portum *de Quintero*, cumque ibi amœniſſimam & fidam nauibus ſtationem inueniſſent, proiectis anchoris quieuerunt. Admiralius ſtatim cum tribus armatis lembis in terram appulit, tum vt ſitum loci contemplaretur, tum etiam vt recentem aquam, cuius inopia laborabant, inquireret. Conſpexit autem ibi multas feras beſtias, easque oues, bouesque eſſe primo arbitratus fuit, ſed poſtea ſylueſtres equos eſſe deprehendit, qui potum veniebant ad fluuiolum è monte dimanantem. Hi ipſis viſis extemplo mira celeritate profugerunt, nec amplius reuerſi fuerunt.

Equi ſylueſtres.

Luſitani quidam captiui dimittuntur

Miſſi ſunt poſtero die qui aquam dulcem conueherent, & Admiralius ipſemet cum Vicario ſuo, magnoq; militum numero ad præſtandam aquatoribus ſecuritatem in terram deſcendit, curauitq; vallum & ſemilunare propugnaculum fieri, ad hoſtes, ſi forte ingruerent, propulſandos. Oſtendebant ſeſe quidem equitum turmæ aliquæ, ſed accedere non audentes,

dentes in valle remanſerũt. Portus iſte amœnitate, ſtatione percommoda & dulcibus aquis nulli ſecundus eſt. Ibique duos Luſitanos vnumq; Chileſium quos ex *San-Mariæ* inſula ſecum hactenus habuerant, liberos dimiſerunt, qui inſperata iſta felicitate exhilarati, cum ſumma gratiarum actione diſceſſerunt. Inuenerunt autem ibi & alium fluuium, piſcibus abundantem quos plurimos ceperunt. Erat præterea lignandi quoque occaſio perquam opportuna, atque ita locus iſte commodiſſimus recreandis nauibus viſus haud immerito fuit.

Perueniunt ad oppidum Arriqua.

Die 17. Iunii ſoluentes iterum ſecundo curſu nauigarunt, nihilq; memoratu dignum ad ſequentem vſq; menſem ipſis obtigit. Die 1. Iulii peruenerunt ad oppidum *Arriqua*. Illud ſitum eſt ſub 12. gradibus & 40. minutis. Ad vnum latus, mons eſt admodum excelſus, inq; decliuitate eius ſitus eſt amplus admodum pagus, domibus quam plurimis conſpicuus. ab altero latere habetur viridis & valde amœnus locus, variis arboribus conſitus. Ad hunc locum ex *Poteſia* argentum conuchitur, atq; inde *Pannamam* defertur, vnde poſtmodum terreſtri itinere ad *Portauelam*, aut mari recta in Hiſpaniam deuehitur.

Nauis exploratoria ab Hiſpanis emiſſa.

Nullæ tum temporis naues quæ argentum aduehere ſolent ibi inueniebantur, itaque ſolutis paulo poſt anchoris in altum vela fecerunt. Tranquillum tum & pluuioſum erat cælum, illudq; mirum ipſis videbatur, quod ex captiuo ſuo Hiſpano didicerant, perpetuam ibi ſerenitatem eſſe. Vice-admiralius referebat nauem ſibi viſam eſſe, itaque Admiralius duos lembos armatos emiſit ad certiora cognoſcenda, qui ſub veſperam redeuntes nil niſi exiguum velum ſibi viſum referebant. Illud tum arbitrabantur & poſtea depræhendebant, ad explorandum & ſignificandum vndiq; aduentum ſuum emiſſum fuiſſe. Sequenti die velum iſtud rurſus apparuit, & inſequentem venatorem celeriter eluſit.

Hiſpani armati ad littus procedunt.

Die 12. Iulii ad terram acceſſerunt, & anchoras ad 50. cubitos fixerunt, ſequenti die miſerunt duas liburnicas ad terram cum armatis aliquot & variis mercibus, vt cum Indis contraherent. Conſpexerunt autem plurima ædificia in modum ciuitatis aut caſtri extructa, cumque prius accederent ſtructuras duas in monaſterii aut arcis modum factas viderunt, excelſo muro, qui tamen vetuſtate penè collapſus erat, circumdatas. Poſt murum iſtum latebant armati equites peditesq; in aduentantes liburnicas jaculantes. Procedebant autem ſonante tympano vſq; ad littus. Hollandi igitur ex liburnicis ſclopetis eos petebant, & quatuor ipſorum proſternebant, quo viſo ipſi ſe ſe rurſus intra murum receperunt.

Intercipiunt nauem quandam.

Die 16. Iulii Admiralii juſſu quatuor lembi inſtructi, & ad viſam jam aliquoties nauem intercipiendam emiſſi ſunt, qui eam abſq; vlla pugna cæperunt. Nauarchus & alii in liburnicam deſcendentes euadere conati fuerant, ſed retracti ab Hollandis, & ad claſſem adducti fuerunt. Erant ipſorum nouemdecim numero ad oliuas & alia afferenda profecti. Multam ſecum habebant pecuniam, quæ à militibus & nautis direpta maxima parte fuit. Nauarchus dicebatur *Iohannes Baptiſta Gouſabes*, eratque bonus, & modeſtus vir, *Aripica* veniens, & ad *Caliou de Lima* tendens. Tranſlatis mercibus, nauis perforata & in profundum merſa fuit.

Conſpiciunt claſſem Hiſpanicam, & to magnis nauibus conſtantem.

Circa veſperam eius diei octo vela ſatis magna ipſis viſa ſunt. Captiui de eis interrogati, reſponderunt eſſe claſſem Regiam, aduentum ipſorum expectantem, quanquam non è ſententia ampliſſimi conſilii *Peruani*, quod ſtatuiſſet non decere Regiam claſſem, de aduentu ipſorum certam, è munitionibus ſuis diſcedere, & mari ſe committere, ſed expectandos aduentantes eſſe ad littus *Caliou*, in quo diſpoſitis tormentis juuari in prælio poſſent. Addebant vero, Rodericum de Mendoza, claſſis præfectum ſeſe conſilio oppoſuiſſe, & regnorum atq; prouinciarum *de Peru* & *Chili* Vice Regis ſtulta imaginatione & juuenili temeritate ductum, aſſeruiſſe, duas nauium ſuarum vniuerſam Angliam domituras, tantoq; magis miſeros iſtos appellaſſe dicebatur, hoc inſuper addito, longa profectione defeſſos eos, & abſque dubio magna parte mortuos, ægrotos, aut ſaltem inermes fore: Apparatum ipſorum omnẽ jam diminutum eſſe, & certò ſibi conſtare, aduentum ſuum oppugnationemq; minime eos expectaturos, ſed claſſem in manus ſuas, multorum, qui idem & antea feciſſent, exemplo tradituros. Vice Regem non minori ambitione tumentem, his auditis reſpondiſſe, iret & ligatis manibus pedibusq; eos captiuos adduceret. Hoc accepto mandato iuraſſe Mendozam ſe non niſi captis cæſiſque ipſis rediturum, concluſum igitur à conſilio tandem fuiſſe rectè ſenſiſſe Mendozam, atque ita eum accepta poteſtate cum claſſe Regia ex portu *Calliouano* 11. Iulii egreſſam fuiſſe.

Ingentis Hiſpanicæ claſſis deſcriptio.

Nomina hoſtilium in claſſe iſta nauium, vt ex captiuo poſtmodum Capitaneo *Caſpare Caldeonio* acceperunt, hæc ſequentia fuerunt. Nauis Admiralii dicta *Ieſu-Maria*, 24. æreis tormentis majoribus armata erat, inſtructaque omni apparatu bellico, trecentos tam milites quam nautas habens, duos præterea centuriones, vnum Satellitem maiorem, Archive-

xillife-

xilliferum vnum, vigintiquatuor Vexilliferos reformatos, ſatellites item & pediſſequos multos excepto Mendoza, cuius latus plurimi proceres cingebant. Numerabantur itaq; in naui iſta quadringenti & ſexaginta viri, & æſtimabatur nauis ad centum & quinquaginta octo ducatorum millia. Altera nauis vocabatur *Sancta Anna*, habebat quatuordecim tormenta maiora ærea exceptis pluribus minoribus, Præerat ei Vice-Admiralius *Aluares de Piges*, vir admodum ſtrenuus, qui ante annos aliquot nauem quandam Anglicam in auſtrali mari iſto ceperat. Vicarium & ſucceſſorem ſi quid humanum ipſi accidiſſet, habebat *Caſparem Caldronium*. Inerant nautæ ac milites ducenti, Centuriones item, Vexilliferi & Miniſtri plurimi, ita vt numerus eorum ad trecentos excurreret. Erat autem nauis pulcherrima, & omnium quas vnquam India aſpexerat validiſſima. Prætium eius erat centum & quinquaginta millium ducatorum.

Tertia erat magni roboris nauis, dicta *Carmer*, Præfecto *Iacobo de Strabis* campi Magiſtro, octo maioribus tormentis æneis & ducentis militibus nautisq; præter Duces eorumq; comitatum, inſtructa. Quarta dicebatur *San Iacobus*, eiuſdem cum priori roboris & apparatus, virisque totidem conſtans, exceptis ſex ducibus Chillienſibus, præeratque ei *Hieronymus Peraca* campi Magiſter. Quinta dicebatur *Roſarium*. Armata erat quatuor tormentis æneis maioribus. Numerabantur in ea milites & nautæ centum & quinquaginta, ſub Præfecto *Mingo de Apala*. Naui ſextæ, quæ *San Franciſcus* dicebatur, imperabat *Ludouicus Albedia*. Nulla tormenta maiora habebat, ſed tantum ſeptuaginta ſclopetarios & viginti nautas, quæ quidem in primo congreſſu nocte demerſa fuit, vt poſtea dicetur. Septima dicta erat *San-Andreas*. Præfectum habebat *Iohannem de Nagena*, natione Germanum, eratq; inſtructa octoginta ſclopetariis & vigintiquinq; nautis, abſq; tormentis maioribus. Octauam ViceRex poſt claſſis diſceſſum prioribus ſeptem in ſubſidium miſerat, de cuius inſtructione nihil conſtat.

Prælium nocturnũ cum claſſe Hiſpanica habitum.

Sequenti 14. Iulii die, claſſes ſibi inuicem appropinquarunt, ita vt ſub veſperam non multum vna ab altera diſtarent. Hoc animaduertens *Admirantius*, expertus miles, minimè è re ſuorum arbitrabatur, nocturno tempore hoſtem aggredi: Miſit itaque confeſtim piſcatorium lembum ad *Rodericum Mendozam* Admiralium, teſtatus, ſi nocte confligeret, ſe ab omni culpa alienum fore. Rodericus tamen ambitione & ſuperbia totus tumens, circa decimam noctis horam, magnum Solem, Admiralium nempe Hollandorum aggreſſus eſt, & poſt nonnullos ſermones vltro citroque habitos, ſclopeta primum, deinde tormenta vtrinque exonerarunt. Poſtquam igitur Admiralius ſclopos ſuos ordine exoneraſſet, ad tormenta conuerſus, tanta tempeſtate in *Mendozam* detonuit, vt liberari ſe iſto luſu omnino optaret. Elapſo *Mendoza* Admiralio nempe Hiſpanico, alia ſecuta nauis fuit, ſed & ea minori damno celeritate ſua euaſit. Hanc tertia excepit *San Franciſcus* dicta, quæ in latus Admiralii impingens, ita ab eo perforata fuit, vt aquam ſtatim hauriret & jam demergenda videretur, itaque cum inde ad Venationem progreſſa eſſet, ab ea, Hiſpanis occiſis, plane demerſa fuit, magno Venationis bono, in quam eodem tempore Hiſpanicus Admiralius etiam inuectus fuerat, à quo ſuperata proculdubio fuiſſet, niſi Admiralius id animaduertens, lembum ei multis armatis inſtructum auxilio ſubueniſſet. Venatio quidem ignotum propter tenebras lembum icto tormenti demerſit, armati tamen, vno excepto in nauem ſuperato ſubmerſionis periculo peruenerunt, ſed Vice-Admiralius quoque lembum militibus inſtructum, ad eam miſerat, eoque adueniente Venatio periculo liberata fuit. Eadem nocte Hiſpanicæ aliquot naues Vice-Admiralium aggreſſæ, ab eoque fortiter reiectæ fuerunt.

Prælium alterum diurnum cum Hiſpanis habitum.

Tota nocte *Admirantium* ſeu Vice-admiralium Hiſpanicum cum aliis quibuſdam nauibus reperire non potuerant, arbitrabantur igitur eas cum Aeolo & Lucifero confligere, quæ duæ naues per Malaciam abreptæ à reliquis fuerant. Orto autem ſole, naues iſtas cum Hiſpanico Admiralio pugnantes videbant, quem etiam alcariter repulerunt. Exorto interim vento quinque hoſtium naues coniunctæ ad Admiralium ſuum miſerunt, & in animo ſibi eſſe ſignificarunt fuga euadere, ſic enim ex captiuis poſtea intellexerunt. Admiralius igitur ſiue *Rodericus Mendoza* primus in fugam verſus eſt. Cum vero videret, Admirantium ſiue Vice-admiralium ſuum inſequi, quod à Vice admiralio Hollandico detineretur non ſtatim poſſe, contractis velis eum expectauit. Vice admiralius vero fortiter in eum exploſit, donec accedente Admiralio, cruenta rurſus pugna exorta fuit. Aderat rurſus Rodericus ſuppedias Vice admiralio ſuo laturus, ſed tandem Aeolus acceſſit fortiter in Hiſpanos exonerans, quorum vtraq; nauis coniunctis lateribus inuicem affixa ſeſe ipſis offendendas facilius præbuerunt. Tandem ad anguſtias redacti Hiſpani qui in Vice-admiralio erant, ad Admira-

miralium tranſilierant, in quo vltra quinquaginta viuos non inuenerunt amplius, vt ex captiuorum confeſſione poſtmodum apparuit. Protendebant interim aliqui album pacis vexillum, ſed illud à nobilibus quibuſdam retractum fuit, qui occumbere potius quam in Hollandorum poteſtatem venire ſeſe malle profitebantur. Vrgentibus fortiter Hollandis, qui ex Vice-admiralio tranſilierant, rurſus ad ſuam nauem redierunt. Volebant & ex Admiralio Hiſpanico quidam ad Vice-admiralium Hollandorum tranſilire, ſed ab eo repulſi & interfecti ſunt. Tandem cum Hollandi validius prælio incumberent, Admiralius Hiſpanicus in fugam verſus inſequentem Admiralium Hollandicum noctis interuenientis beneficio euaſit. Arbitrabantur quidem Hollandi fore vt ſequenti die iterum inueniretur, ſed ab Indis poſtea cognouerunt, eum eandem cum *San Franciſco* fortunam expertam, & cum naui ſubmerſum periiſſe. Vice admiralius quidem vna cum Aeolo, Admirantium ſiue Vice Admiralium Hiſpanicum tormentis adeò affligebat, vt tandem ablata euadendi ſpe, vexillum pacis exponere cogeretur. Hoc igitur viſo Vice admiralius duos miſit lembos, qui ipſum Admirantium adducerent. Verum recuſauit Admirantius, aſſerens ſe ea nocte in ſua naui manſurũ, niſi vel aliquis Ducũ à Vice admiralio obſes in ſuam nauẽ mitteretur, vel Vice-admiralius ipſemet ad ſe adducendum veniret. Malle enim pro patria & Rege ſuo fortiter dimicãdo occũbere. Interea quidã ex Aeolo, conſcenſa Admirantii naue vexillum abſtulit, & lembi cum nullã paciſcẽdi ſpẽ viderent ad claſſem redierunt, decem aut duodecim relictis, qui contra mandatum, in Admirantii nauem tranſierant vt primi in direptione eſſent. Nocte autem Hiſpani admodum laborabant, vt à ſubmerſione ſe defenderent. Hollandorũ quoq; qui in naui iſta remanſerãt, opera nõ parũ adjuti. Verũ cũ animaduerterẽt tandẽ nihil ſpei ſupereſſe, multis facibus accenſis horribiliq; excitato clamore in conſpectu Hollandorũ ſubſederunt.

Sequenti die quæ erat 16. Iulii, Admiralius quatuor lembos miſit, vt inquirerent an forte Admirantius aut præfectorum aliquis ſupernataret. Aduenientes viderunt triginta circiter in fractis tabulis natantes, qui primo aſpectu Hiſpanos arbitrati auxilium inclamabant, ſed cum viderent hoſtes eſſe miſericordiam vociferabantur. Lembi iſti non inuento Admirantio, quem duobus vltimo prælio acceptis vulneribus, ſubmerſum aſſerebant, Nauarcho ſocioq; ejus acceptis, reliquos vndis permiſerunt, aliquos etiam, contra mandatum tamen Admiralii trucidarũt. Hic igitur exitus prelii iſtius fuit, in quo quadraginta ex Hollãdis vulnerati, & ſedecim interfecti ſunt, idq; eo potiſſimum tempore factum, quo Vice Admiralius inter Admiralium & Vice admiraliũ Hiſpanicæ claſſis verſaretur, in reliquis nauibus viginti quatuor interfecti, & octodecim vulnerati reperti ſunt. *Numerus eorum qui in prælio cæſi & vulnerati fuere.*

Eodem die actis Deo pro victoria iſta gratiis, profecti ad inſulam *Caliou de Lima* fuerunt, parum autem propter malaciam proficientes, ſequenti die qui 20. Iulii erat, inſulam iſtam ſecundo vento prætervecti fuerunt. Cum ad portum veniſſent, conſpexerunt ibi quatuordecim naues vltro citroque in littore oberrantes, & mercimoniis ex *Beruvia* conuehendis inſeruientes, propius autem ad eas accedere vado prohibiti fuerunt. Tenderunt autem ad ſtationem *Caliou de Lima*, vt ibi inueſtigarent, an forte Hiſpanicus ille Admiralius euaſiſſet, & adhuc ſupereſſet, ſed eum demerſũ fuiſſe, poſtea in *Girarme* & *Peyta* intellexerũt. *Perueniũt ad portum Caliou de Lima.*

Poſtquam ad *Caliou de Lima* acceſſiſſent, animaduerterunt Hiſpanos vaſtæ magnitudinis tormentum, quod 36. librarum globum caperet, aliaq; minora ibi collocaſſe. Admiralius quidem præcedens, anchoras priuſq; ad 10. cubitos projiciebat, nihilq; detrimenti à tormentis iſtis accepit. Venator autem qui juxta Admiralium ſeſe collocauerat, à tormento iſto perfoſſus, parũ abfuit quin ſubmergeretur. Interea cum ingentẽ exercitum in littore conſpicerent, & ipſemet Vice Rex cum octo equitũ turmis & quatuor mille peditibus præſens adeſſe diceretur, metuerent autem, ne ruptis forte ab aſſidua jaculatione rudentibus, iter impediretur, ſtatutũ matura deliberatione fuit, vt ad vnã aut alterã leucã recederent. Hoc igitur facto jactæ ſunt anchoræ ad ingreſſũ portus *Caliou de Lima*. Quieuerunt autem vſq; ad 25. Iul. interea interim ad naues hoſtiũ intercipiendas, ſed fruſtra, celeritate enim multũ valebant, nec vſquã à littore recedebãt. Die 26. ſoluẽtes, tres lembos ad compræhendendã nauiculã quandam dimiſerunt. Hi circa veſperã ad claſſẽ reuerſi, nauiculam iſtã, ſale & aliquot vaſculis dulci liquore refertis, oneratam ſecum adduxerunt. Hiſpani autem qui in ea fuerant, de aduentu ipſorum admoniti, relicta nauicula aufugerant, precioſiora quæq; ſecum auferentes. Nauiculam iſtam Admiralius claſſi adjunxit præfectumq; ei & milites quoſdam impoſuit. *Vice Rex Hiſpaniæ cum magno exercitu in littore apparet.*

Certiores autem facti de claſſe *Pannamenſi*, nouum inter milites ordinem conſtituendum cenſebant. Habito igitur conſilio decreuerunt, hoſtem, ſi claſſis iſta occurreret tormentis quibus maximè valebant petendum & ne nimis propè ad hoſtiles naues *Conſtitutio militaris contra claſſe Pannamenſe.*

accederent, cauendum eſſe. Non tamen tam temerè vt Hiſpani ſolent, impetum in hoſtem facerent, ſed memores ſemper eſſent ſe in locis peregrinis verſari, vbi claſſem reparandi deeſſet occaſio Memores item eſſent longum adhuc iter conficiendum reſtare, ad *Manillas* nempe, vnde ſatis magnus ſperetur prouentus. Cauerent autem ſummo ſtudio, ne ab inuicem ſepararentur, memores nimirum quod id in ſuperiori pugna, omniū maximè ipſis obfuiſſet. Si aliquæ hoſtium naues ſe ſe in poteſtatem ipſorum traditur æ eſſent, Nauarchi, Duces aliiq; præcipuæ auctoritatis viri, naues ſuas propterea non deſererent, aut ad hoſtium naues procederent, ſed eos lembis ſuis ad ſe venire cogerentur, ne confuſio aliqua ex nimia ſpoliandi libidine oriretur. Si mittendos ad hoſtes lembos aliquos judicatum fuerit, id Admiralii, aut eo abſente, Vicarii eius juſſu fieret, & viri prudentes, Hiſpanicæque linguæ periti eligerentur.

Perueniūt ad ſtationemGuarmenſem. His ita conſtitutis vela rurſus fecerunt, & ad *Guarmenſem* ſtationem, 28. Iulii peruenerunt, quæ quidem ſub altitudine 10. graduum extra lineam ſita eſt. Locus iſte amœniſſimus eſt ampliſſimo portu & multarū nauiū ſtatione præditus, nec ita procul abeſt fluuius quidā, ex quo aquam dulcem pro nauibus ſuis attulerunt. Cum primo adveniſſent, Admiralius ſtatim militum cohortem ad terram miſit, ſed ab iis non niſi vacuæ habitationes inuentæ ſunt, incolis fuga, quia de aduentu ipſorū cognouerant, elapſis. Miſſus autem in terram cū aliis etiam Ioh. Baptiſta fuit, nauiculæ, quam pridie eius diei, quo prælium commiſſum fuit, ceperat Nauarchus, ad explorandas loci iſtius commoditates, qui omnibus luſtratis tandē aliquot poma Aurancia & fructus alios ſecum attulit. Inuentæ quoq; in ædibus iſtis gallinæ, porci, farina & alia. Miſſus quoq; fuit aliquis notæ fidei, vt de Roderico Mendoza claſſeq; eius aliquid certi exploraret, qui deinde retulit, ipſum cum præſtantiſſima iſta Regiæ claſſis naui, vt & ſecundam ab ea ſubmerſam, nullo plane ſeruato periiſſe.

Inſula de Loubes. Die 3. Auguſti dimiſſis aliquot captiuis Hiſpanis, commoda tempeſtate profecti ſunt, & triduo poſt inſulam *de Loubes* conſpexerunt, dictam ita à piſcium multitudine, quæ ibi reperitur. Perrexerunt autem inter continentem & inſulam iſtam, videruntq; poſtero die peregrinæ formæ velū aliquod, ſed illud paulo poſt iterum è conſpectu propter ingruentes tenebras amiſerunt. Proiecerunt autem anchoras in commodo portu juxta *Paytam* oppidum.

Payta oppidum oppugnatū. De conſilio ſenatus miſſæ ſunt ad terram octo liburnicæ cum trecentis armatis, cum vero viderent vrbem iſtam probè vallatam ſine ſuorum amiſſione non poſſe inuadi, velitationibus aliquot peractis ad claſſem reuerſi ſunt. Miſſæ ſunt autem poſtero die tres naues, Aeolus, Lucifer & Venator, vt oppidum iſtud quam proximè poſſent, obſiderent. Venit autem ex alto piſcator quidam cum nauicula. Ad eum perſequendum miſſus eſt quidā Iohannes de VVit, qui veſpere rediens nauiculam iſtam, cum mirabili velo adduxit cum ſex Indis juuenibus & robuſtis viris, qui per duos menſes piſcati fuerant, habebātq; plurimos eximi ſaporis arefactos piſces, qui per claſſem vniuerſam diſtributi ſunt. Die 10. Auguſti milites rurſus in terram majori quam antea numero miſſi fuerunt. Interim tres ipſorum naues horribili furore oppidum quatiebant. Cum autem milites exſcenſione facta ad oppidum proficiſcerentur, inuentū eſt illud hominibus vacuum, incolæ enim ablatis ſecū rebus omnibus ad montes aufugerant. Oppido igitur igne accenſo ad naues redierunt.

Paula commendatoris Paytani vxor literas & munera ad claſſem mittit. Miſſa fuit poſtea Venatio ad ſeſquileucam verſus auſtrum, vt ibi excubias ageret. Reliqua interea claſſis relicta *Payta*, ad angulum quendam anchoras projecit, vt Paunamenſes naues expectaret, quas exploratum quotidie aliquis emiſſus fuit. Miſſi ſunt etiam in terram quinq; Indi iſti, quos cum naui piſcatoria interceperant, tum ad carpendos fructus, tum ad certiora, ſi fortè haberi poſſent, de Hiſpanico Admiralio adferenda, qui reuerſi, verè eum cum naui ſua ſubmerſum, & non niſi ſex perſonas mirabiliter ſeruatas fuiſſe referebant. Erat inter Indos iſtos, qui magnorum ſecretorum eos participes fecerat, itaq; ei fidem eò facilius adhibuerunt, quod virtus ejus ſatis ipſis perſpecta eſſet. Indi iſti literas quoque à Centurione *Caſpare Caldroino* ad Paulam commendatoris *Peytani* vxorem detulerant, quæ ſeſe à littore ad leucas duodecim in *San-Michaelis* oppidum receperat, reſponſum ſimul ab ea referentes, in quo ipſa commiſerationis affectum erga omnes captiuos declarans affirmabat, niſi grauibus cauſis impediretur, ipſam ad Admiralium venturam fuiſſe. Mittebat autem honoraria ad claſſem, poma nempe citria, mala aurantia & alia quæ inter claſſiarios diſtributa fuerunt.

Paytanæ vrbis præſtantia. Eximia iſtius fœminæ per vniuerſam Peruanam regionem fama & auctoritas erat tum propter ſummā pulchritudinē ſuauiſſimoſq; quibus prædita erat mores, tū propter prudētiā etiam & virtutes ejus alias. Plurimū apud Admiralium pro captiuis ſupplicabat, verū humaniter

niter ei denegata petitio, reſponſumq́; fuit, ſi paulo ante perſpectam eius virtutem habuiſſet, in ipſius gratiam vrbi *Peytanæ* parſurum fuiſſe. Vrbs iſta munitiſſima erat, & tormentis verſus mare potiſſimum inpenetrabilis. Habuerat etiam duo templa, monaſterium vnum aliaque complura pulcherrima ædificia. Portus erat totius Regionis optimus, ad quem omnes Pannamenſium naues commeabant, & vnde porro terreſtri itinere ad *Caltou de Lima* proficiſcebantur, propter perpetuum maris æſtum & ventorum contrarietatem. Vice-Rex oppidanos jam ante de aduentu ipſorum monuerat, & apparatum bellicũ ipſis ſubmiſerat, ſuſtinere tamen vim tormentorum non valentes, clàm ſeſe ſubduxerant oppido Hollandorum direptioni relicto.

Piſces Loubes & aues miræ magnitudinis.

Dum ibi ſubſiſterent, animaduertens Admiralius diminui annonam, miſit quatuor lembos ad inſulam *de Loubes*, vt piſces illos *loubes* dictos afferrent. Piſces iſti cocti ſuauiſſimi ſaporis, optimiq́; alimenti erant. Illis igitur veſcentes annona reliqua parcius vtebantur, verum ſeditioſi aliqui ſe ſe opponentes, morboſque creari tali cibo poſſe dixerunt, itaq́; abſtinendũ à captura piſciũ Admiralius poſtmodũ imperabat. Ceperunt præterea Hollandi duas volucres miræ magnitudinis, roſtro, alis & vnguinibus aquilæ non abſimilis, collo quaſi ouillo, criſtato vt gallinacei capite, & plane peregrina forma prædití. Admiralius porro cum vidiſſet captiuorum maximam partem ad opera ipſorum eſſe ineptam & inhabilẽ, plurimos ipſorum in terram expoſitos dimiſit, Nauarcho ſolum & Centurione *Caſpare Caldroino*, cum triginta aliis retentis. Dimiſſi ſunt quoq; prædicti Indi, & nauis ipſis reddita.

Gubernationis Peruanæ deſcriptio.

Exhibita fuit hoc loco Admiralio forma regiminis Peruanæ Gubernationis deſcriptio à captiuo quodam Hiſpano, *Petro de Madriga*, natione Limenſi. Eam hic inſerere libet. Ita autem habet. Regna *Peruanum*, *Chili*, & *Terra firma* gubernantur jam à Iohanne de Mendoza & Linoa, Marchione *des montes claros*, Vice-Rege Majeſtatis ſuæ Hiſpaniarum Regis ſumma cum poteſtate rerum omnium, qualem ipſe Rex in Hiſpania exercet.

Vice-Regis ſtipendium annuum.

Hoc Vice Regis officium in ſex aut octo annos confert, attributis ei in annos ſingulos quadraginta ducatorum millibus. Ad hoc ordinarium addit deinde ſingulis feſtis Natiuitatis Dominicæ, Epiphaniæ, Paſchatis & Sancti Spiritus mille *Peſos Enſaiados*, ſingulos valore 12. Regalium & dimidio, quia tum vniuerſæ Audientiæ conſiliariis prandium exhibetur. Singulis præterea annis, quando ad *Halao* portum venientem ex argentifodinis claſſem inſtruit *Peſos Enſaiados* bis mille. Ingenti magnificentia Vice-Regi in Palatio ſuo ſeruitur. Aulæ enim præfecti & cuſtodes corporis Duces & Reges ſunt, plurimis Nobilibus comitantibus, & triginta militibus ſiue ſatellitibus ſtipatus in publicum procedit. Rus euntis centum haſtati & quinquaginta ſclopetarii latus cingunt, & Haſtati quidem octingentorum, Sclopetarii vero quadringentorum Enſajadorum ſtipendio annuo fruuntur.

Audientiæ & Conſiliarii.

Quatuor habentur Audientiæ in hoc Regno, vna in *Pannama*, altera in *Quinte*, tertia in *Charlas*, & quarta in *Lima*. Regnum vero *Chili* itidem vnam habet, & Majeſtas ſua huic Regno de Præſide ſemper proſpicit. Modo Gubernatorem habet *Alphonſum de Ribera*. In hiſce audientiis ſunt Conſiliarii Regis, quibus vniuerſas tam ciuiles, quam criminales lites decidere incumbit. Facta ab iis appellatione, ciuilia ab *Ojidoribus* (commiſſarii ei ſunt) & criminalia ab *Acaldis* poſtremum iudicantur & deciduntur. Hi omnes vno habitu incedunt, annuumq́; trium millium *Enſajadorum* ſtipendium accipiunt.

Ciuitas Regum in qua Vice-Rex habitat.

Ciuitas in qua Vice-Rex commoratur, *Regum Ciuitas* appellatur. Sita eſt in valle amœniſſima, extenſa in longitudinem ad ſeſquimiliare, in latitudinem vero ad tres quadrantes. Frequens eſt incolis pluſquam decem millibus, exceptis eis, qui commercii gratia, indies eò commeant. Quatuor habet fora. In primo eſt curia, mercatorumque conuentus ſiue collegium. Hic omnis generis merces diſtrahuntur. Commorantur in hac ciuitate plurimi Indi opifices, idq́; in loco qui *Cercado* appellatur. Magnus quoque agricolarum numerus eſt, qui Hiſpanicè *Patates* dicuntur. Indorum in *Cercado* habitantium numerus ad duo millia accedit. Alterum forũ *San-Annæ* dicitur: tertium *San Iacobi*, eſtq́; paulo minus præcedentibus: quartum vocatur *El ſato de los Caualles*, propterea quod equi, muli, aſini &c. in eo diuendantur

Archiepiſcopus in ciuitate Regia.

Reſidet in hac ciuitate Archiepiſcopus, *Bartholomæus Lobo Gueorero*, qui annuos ſexaginta milliũ *Peſorum* poſſidet reditus. Summa ædes habet viginti quatuor præbendas, Archidiaconũ vnũ, Ludimagiſtros, Canonicos, Sacerdotes & Sacellanos, qui bis mille *Peſos* & amplius habent, pro ratione decimarũ. Templo iſti præſunt quatuor Paſtores, aſſignataq́; ſunt à Rege vnicuiq; quindecim millia *Peſorũ*. Eſtq́; templũ hoc *S. Iohã. Euangeliſtæ* ſacrum ſiue dedicatũ. Habentur ibi quatuor præterea templa alia *S. Marcelli* vnũ, cũ duobus Paſtoribus mille *Peſorũ* ſtipendio annuo, Alterum eſt *S. Sebaſtiani*, cum Paſtoribus totidẽ iiſdẽq; reditibus: *San-*

Annæ tertium eodem modo cum reliquis: Quartum eſt Hoſpitalis Orphanorum domus, cum vno paſtore, qui quatuor cathedralibus Eccleſiis miniſtrat, accipitq; ab iis *Peſos* quingentos.

Monaſteria & Collegia.

Monaſteria in vrbe iſta ſunt ſequentia *San-Franciſci*: *San-Dominici*: *San Auguſtini*, & vnum *Nueſtra Signora de las Meriedes*. Horum vnumquodq; duo ordinis ſui clauſtra habet; San-Franciſci tria, & præter primarium, vnum diſcalceatorum. Diuæ virginis *de Guadelupe*. Præter hæc duo ſunt Ieſuitarum Collegia, quos ibi *Teatinos* appellant. In ſingulis præcipuis Monaſteriis ducenti & quinquaginta Monachi commorantur. Monialium quinque ſunt clauſtra, vnum Incarnationis; alterum conceptionis; tertium S. S. Trinitatis; quartum San-Ioſephi, & quintum San-Claræ. Vltra hæc Monaſteria templum eſt Dominæ noſtræ *de Montferrato* & *del prado*, atque *de Loretto*.

Xenodochia in ciuitate Regia.

Quatuor habent Xenodochia, primum *San-Andreæ*, in quo pauperibus medicina gratis adhibetur, in eoq; ferè ſemper quadringenti ægroti iacent. Secundum eſt *San-Annæ*, pro Indis. Tertium *San Petri*, pro Sacerdotibus & Eccleſiaſticis. Quartum *Charitatis* pro mulieribus. Præter hæc eſt domus *San-Lazari* pro viris inueterato morbo laborantibus. Denique vnum *Sancti Spiritus* pro nauigantibus.

Collegia ſtudioſorum.

Præter mille ſtudioſos, ſunt plus quam ſexcenti Sacerdotes. Tria ſunt ſtudioſorum Collegia. Primum *Regium*, in quo is viginti quatuor ſtudioſos educat. Secundum *San-Torinii*, in quo viginti quatuor ſuſtentat Archiepiſcopus. Tertium *San Martini* in quo vltra quadringenti habitant ſtudioſi, & ſinguli ducentos annuè *Peſos* perſoluerunt. Plus quam ducenti Doctores promoti in omnibus facultatibus ibi reperiuntur. Profeſſores mille *Peſorum* ſtipendium à Rege accipiunt. Duo ſunt Auditoria in quibus ante & poſt prandium ius ciuile docetur, biniq; Profeſſores, ſinguli ſexcentos annuè *Peſos* habent. Artium liberalium Magiſtri quadringentos, quemadmodum etiam ii, qui *de la inſtituta* appellantur habent. Eliguntq; hi profeſſores quotannis vnum Rectorem.

Mancipia & Indi in vrbe Regia.

Sunt præterea in vrbe iſta, ac in ſuburbiis vltra vicies mille mancipia, plures autem fœminæ quam viri eo in loco viſuntur. Indi eadem cum Hiſpanis libertate fruuntur, excepto quod ſingulo ſemeſtri duos *Enſaiados* Regi pendunt, & gallinam vnam Regalis vnius precio, *Fenegam* item octo Regalium, & pannum ex quo veſtes Indi conficiunt: Eumque ſi commorentur in vallibus aut campis, goſſypinum; ſi in montibus, laneum. Obſtringuntur ad ſeruiendum Regi annuè centum & triginta diebus, incipientes in Majo vſque ad exactum Nouembrem. Qui iuxta argenti fodinas habitant, iis applicantur: alii agriculturam exercent. Accipiunt autem à Magiſtro operis duos quotidie Regales & dimidium, præter victum. Seruiunt quoq; in pecoribus educandis, quorum hic ingens multitudo, ouium præſertim, ſtatura quam noſtrates maiore, & cameli ſimilitudine, quibus equorum loco *Potochii* maximè vtuntur. Adducunt enim Arricani *Potochium* beſtias varias, itemq; frumentum, farinam, herbas quas perpetuo Indi maſticant, & in conuehendis mercibus ſuis hiſce ouibus vtuntur, quamquam non deſit etiam equorum & mulorum copia. Habent ibi frumentum quod *Mays* vocant, & ex eo potum conficiunt ſaluberrimum, quem *Schyca* vocant.

Regiæ vrbis fertilitas.

Abundat ciuitas iſta omni genere annonæ, carne nempe, piſcibus & pane, cuius ſedecim vnciæ Regali veneunt, frumentum ordinariè tribus *Peſis*. Carnis quatuor & medio Regali venditur *Aroba*, interdum etiam quinque, recentis piſcis libra emitur dimidio Regali, magna autem copia piſces ibi ex mari affluunt. Mœnia vrbis flumen præterlabitur, quod imbribus & pluuiis frequentibus auctum, tanta interdum violentia & mole ruit, vt pontem etiam lapideum, nouem arcubus firmatum abripiat. In eo autem varii & ſuauiſſimi ſaporis piſces magna copia capiuntur.

Collegiũ Conſiliariorum in vrbe Regia.

Eſt in vrbe iſta viginti quatuor conſiliariorum collegium. Regia quoque domus *de contractation* dicta, cum quatuor Regiis miniſtris, nempe *Threſorero*, *Candidoro*, *Factoro* & *Viadoro*. Eſt in domo iſta & Aerarium Regis, & tribunal inquiſitionis, cum duobus inquiſitoribus, qui ſinguli tria millia peſorum quotannis habent. Separatus eſt item carcer eorum & *Alguiſil Maiicor*. Notarii duo, qui ſinguli quater mille *Peſos* accipiunt. Eſt ibi etiam tribunal *de San Cruſada* ſeu bulla, cum Magiſtris ſuis, qui iiſdem ſtipendiis fruuntur.

Præſidium & portus ciuitatis Regiæ.

Ciuitas iſta duobus leucis à mari diſtat, habetq; præſidium, ex octo peditum & totidem equitum cohortibus conſtans, portus proximus *El Callao* dicitur, in quo octingenti circiter præſidiarii commorantur, juxta eſt pagus ducentorum ferè Indorum, qui inter Hiſpanos educati, perfectè Hiſpanicam linguam loquuntur, ſeruiuntque illis in agricultura, & omnibus neceſſariis operibus, quanquam vini, frumentiq; plurimum mari aduehatur à *Piſcoyka*

& *de la*

& *de la Nacha*. Vehuntur ex vrbe iſta *Potochium* omnis generis Hiſpanicæ merces, vt panni, ſericum & alia quæ etiam ad *Limam* conficiuntur.

Argenti fodinæ admodum profundæ.

Locus iſte in quo eſt ciuitas iſta Regia, dicitur Botochii, *la Valla Imperiael*. In circuitu complectitur altiſſimum montem, in quo habentur argentifodinæ, ad quas horribili planè ingreſſu, quadringentis & amplius gradibus deſcenditur, tantæq; in eis tenebræ ſunt, vt ſine candelis & facibus accenſis nihil videatur in illis: pluſquam vicies mille Indi fodiunt. Alii centum ferunt metallum ad molas purgandum, vt nimirum argentum à ſcoriis ſeparetur. Molunt autem primum & in puluerem metallum redigunt, deinde in alueum quadratum imponunt, additaq; aqua & farina cum Mercurio, terram ab argento ſeparant, tum vero argentum cum Mercurio coniungitur, ad ea rurſus ſeparanda fornacem adhibent patentem deſuper, ſupereminente quaſi tecto ex argilla, ad quod ignis ſuppoſitus eleuat Mercurium, argento in fornace relicto.

Locus frigidus & fructus nullos ferens.

Locus alias frigidus eſt, ita vt ad quatuor leucas nulli fructus proueniant, excepta herba quadã, quæ ab Indis *Ycho* appellatur. Omnis annona eò ex *Arica*, qui portus Potochianus eſt, conuehitur. Vinum Peruanum conſtat ibi 10 Philippicis, Caſtellanum 20. *Aroba* carnis vno Philippico, panis vero libra vna, duobus Regalibus venit. Diſtat ciuitas illa centum & octoginta leucis Hiſpanicis à portu *Arica*, ſuntq; in via plurimi frequentesq; incolis pagi. Vicerex ab ipſis *Corrigidor* appellatur.

Chucquiſaca ciuitas.

Haud longè ab iſta ciuitate diſtat *Chucquiſaca*. commoda quidem, ſed non adeò ampla ciuitas, quæ Epiſcopum habet triginta millium ducatorum reditus poſſidentem. Eadem ſunt ibi, quæ & *Limæ* Monaſteria: ſed non eadem Monachorum frequentia. Incolarum numerus eſt trium vel quatuor millium. *Potochii* mille & quingenti circiter habitant, luſoriis chartis victum quærentes, aduenarumq; cumenas emungentes. Septuaginta circiter abinde leucis locus eſt, *Eruco* dictus, quæ argentifodinis præſtat. Paulo propius *Limam* verſus, aliæ præterea fodinæ reperiuntur, quæ *Cocholo Cocha* dicuntur, & ibi quinquies mille Hiſpani habitant, & quatuor Indorum millia qui in fodinis laborant. Aer ibi frigidus eſt quemadmodum & *Potochii*. Submittitur autem locis iſtis annona à ſito in vallibus oppido *Yla* dicto. Portum habent qui ipſis *Piſco* vocatur, vnde vinum & frumenta conuehuntur.

Quamabeluca ciuitas.

Cuſco ciuitas magna.

Diſtat hinc viginti leucis ciuitas *Quamabeluca* dicta, duobusque inde miliaribus pecoris armentorumque copia, butyri item & caſei inde affertur. *Potochio* diſtat centum & quinquaginta miliaribus *Cuſco*, vbi plurimi mercatores viſuntur. Luſores item qui ab vno in aliud diuerſorium proficiſcentes, viatores circumueniunt. Ciuitas iſta nõ diſſimilis eſt *Linæ*, magnitudine ampla ſed inæquali ſterilique ſolo, ſita eſt enim ad montis altiſſimi radices. Habitatur ſexies mille Hiſpanis, ſuntque plurimi in circuitu Indorum pagi Habent hic quoque *Corrigidorem* ſiue præfectum & Epiſcopum, nec non Monachos & duo ſtudioſorũ collegia, in quibus ſtudioſi circiter ſexcenti reperiuntur. Refertus eſt pulcherrimis amœnisq; vallibus hic locus, eſtq; ſatis fertilis & magno Hiſpanorum negotiantium numero frequentatur. Habent autem & Indi ſuos præfectos à Rege ibi conſtitutos. Et eſt alia ciuitas *Cuſco*, non tam ampla quæ à *Guamanga* ſexaginta leucis diſtat, pecuniæ inopia laborans, eò quod nullæ in propinquo fodinæ reperiuntur. Abundat autem annona, pecoribus & armentis, equis potiſſimum, qui pulcherrimi & maximi ibi reperiuntur.

Fluuius omnia in lapidem vertens.

Locus in quo argentum viuum conficitur, vocatur Iuancabelica. Mons juxta eſt altiſſimus prærupto inclementiq; deſcenſu, ita vt ſcalis deſcendentes vtantur. In cacumine lapides effodiunt, vnde mercurius producitur. Haud longè inde fluuius reperitur quo tincta omnia vertuntur, in lapides, eſtque potus eius hominibus planè lethalis.

Xanca vallis fertilis.

Iuancabelicæ proxima eſt vallis, quæ *Xanca* dicitur, fertilitate arq; amœnitate mirabili prædita, cœloq; percommodo valens. Ex ea frumentum, quod *Mays* vocant, & porcina caro, in circumiacentia loca mittitur. Sunt enim in valle iſta vltra quadraginta Indorũ pagi, in quibus decies mille Indi Hiſpanis permiſti habitant. Vallem de *Xanca* ſequitur alia, Indis ſolis habitata.

Arriquipa oppidum.

Inter *Cuſco* & *Arica* plurimi ſunt Hiſpanorum pagi, vtpote *Piſco*, *Icala*, *Naſca*, inde peruenitur in oppidum *Arriquipa*, quod pulcherrimum eſt & præter Indos, pluſquam bis mille Hiſpanis habitatum. Habent præfectum qui *Corrigidor* vocatur, itemq; Epiſcopum, quẽ *Cabildo* vocant. In *Chaucai* tot ſunt Hiſpani, quot in *Cannetto* commorantur. In circuitu Indi educandis pecoribus & carne porcina furanda victum quæritant. Verum pauciſſimi in partibus iſtis Indi reperiuntur. Incolæ omnes Hiſpanicam linguam loquuntur.

Santa & Truxillo oppida.

Santa oppidulum eſt Hiſpanorum, continens centum circiter familias & perpaucos

Indos. Haud multum abeſt inde *Truxillo* oppidum non inelegans. Eo non ita pridem aduenit Epiſcopus. Terra non eſt diues, habitata à bis mille circiter Indis, & portus eius *Guarciaco* dicitur. Frequentes ibi ſunt ſaccari molæ, ſeriturq; frumentum, & farina *Pannamam* defertur. Equi ibi plurimi educantur, & fructus reliquaq; annona vili pretio diſtrahitur, ſed pecunia ferè omnes carent.

Regni Chilenſis deſcriptio. San-Iago vrbs.

Hæc igitur ſunt quæ de natura, ſitu & ſtatu terræ iſtius à captiuo iſto ſupra memorato Hiſpano acceperunt. Illis jam Regni *Chilienſis* deſcriptionem quoq; addere lubet. In iſto Regno metropolis eſt *San-Iago* ſeu San-Iacobus, Indis habitata. Habet aurifodinam ſed Regi inutilem.

Secunda ciuitas eſt *Coquirabo*, ære abundans ex quo in *Peru* campanas & tormenta conficiunt.

Hiſpani ab Indis mactati.

Tertia eſt *VValdauia*, auri ditiſſima. Eius incolæ occupata Anno 1599. ciuitate, Hiſpanos omnes mactarunt, vxoribus eorum retentis, quarum ſingulas, vno pari calcariorum, freno, gladio & ſtapedibus duobus, redimendas obtulerunt, verum Rex prohibuit, ne *Chileſii* armarentur. Gubernatori Hiſpanorum quem ſeruauerant, liquatum aurum in os auresque immiſerunt, confecto deinde ex Cranio eius Scypho, tubaque ex tibiis ad victoriæ memoriam.

Auroca vrbs.

Quarta ciuitas eſt *Auroca*, juxta quam Hiſpani munitionem habent, vno militum vexillo firmatam, qui tanta degunt inopia, vt vitam ſuſtentare nullo modo poſſint, niſi nauibus annona ipſis ſubuehatur. Elapſo circiter anno vno cum dimidio, *Biſcainus* quidam Centurio, inſtructa 30. viris nauicula, apportabat annonam, ſed vi æſtus abreptus incidit in poteſtatem incolarum, qui eum cum omnibus ſociis ſuis interfecerunt, vno ſaltem tubicine, Laurentio, Bergis in Noruegia, oriundo.

Hiſpanicus Gubernator in vrbe Conceptionis.

In vrbe *Conceptionis*, de qua ſupra, Hiſpanicus Gubernator habitat, quem perpetuò quadringenti milites cum aliquot tormentis, ad præſtandam ſecuritatem, comitantur. Terra quidem per ſe fertilis eſt, ſed ita per diſceſſum incolarum deprauata jam & corrupta, vt Hiſpani ſummam patiantur penuriam.

Chilne oppidum.

Eſt & oppidum in regno iſto *Chilne* dictum, exigui momenti & paucarum virium, ſub ditione & poteſtate Hiſpanorum, quod Belga quidam centurio, *Antonius Siuartus* nomine, cum triginta armatis olim occupauit, cum verò nauis eius *Fides* nomine ante oppidum quieſcens, Hiſpanorum precibus commota, triginta eorum acceſſiſſet & ad *Guataquil* in terram expoſuiſſet, appræhenſa naui, omnes qui in ea fuerunt à Vice Rege Peruano, ex pedibus ſuſpenſi & ſagittis traiecti, pœnas ipſi dederunt.

Continuatio hiſtoriæ.

Sunt & alia in Regno iſto loca, ſed exigui momenti, quare illis omiſſis, ad hiſtoriam noſtram redibimus. Die igitur 21. Auguſti ſoluentes, ſuaui vento ſeptentrionem verſus profecti ſunt. Sequenti die proiectis ad 40. cubitos anchoris, animaduertere cœperunt, propter nimiam æſtus contrarii violentiam fieri non poſſe, vt quicquam proficerent, niſi ſecundo admodum fortiq; vento. Eum cum accepiſſent, poſtmodum progreſſi ſunt littus legentes, & ad ſolis occaſum die 23 quieuerunt in anchoris ante fluuium dictum *Rio de Tumba*, cuius ingreſſum nimius æſtus & vadum etiam lembis aliquibus impediebat.

Curſum dirigunt verſus inſulam Coques.

Die 24. cum propter Malaciam & æſtum maris maximum procedere non poſſent, decretum ex Senatus nautici ſententia eſt, vt ad inſulam *Coques* recta tenderent. Sita erat ea quinto gradu ad Auſtrum, nauibus recreandis commodiſſima. Profecti igitur ſequenti die nauem conſpexerunt, & omnes neruos ad eam aſſequendam intenderunt. Verum tenebris noctis eam è conſpectu amiſerunt. Erantq; tum ad angulum *San-Helenæ*, ſeſquigradu obliquati à polo. Pergentes autem vſq; ad finem hujus menſis, turbines, imbres, fulgetra & tempeſtates varias experti fuerunt.

Conſpiciunt nouam Hiſpaniam.

Procedentes à 1. Septemb. ſecundo vento vſque ad ſeptimam inſulam de *Coques* reperire non potuerunt tempeſtatibus impediti. Deſeruit autem eo die Iohannes de VVit nauiculam ſuam, eo quod rupta vndiq; & fluctibus decumanis quaſſata, aquam hauriret. Vix enim cum annona tranſcenderant homines, cum ea ſubito demerſa fuit. Profecti deinde vſq; ad decimumtertium, varias tempeſtates, imbres & fulgura experti ſunt, vnde paulatim varii inter eos morbi extiterunt. Habebant autem altitudinem octo graduum. Inde ad decem, itemq; ad duodecim graduum & triginta minutorum altitudinem peruenientes, terram viderunt, quam nouam Hiſpaniam appellant. Terra primo intuitu demiſſa videbatur, altiſſimis tamen montibus ſparſa fuit. Progreſſi autem toto menſe malaciam, ventos & tempeſtates maximas experti fuerunt, ita vt naues etiam inuicem colliderentur, & altera in alteram

ram

ram non ſine graui damno impingeret. Verſabantur autem ſub altitudine 14. graduum, & die 29. ad gradus 15. & 30. minuta pervenerunt.

Accipiunt informationem de portu Commodo.

Primo Octobr. ad littus appellere magno ſtudio laborabant, cumque aſcendentem à terra fumum vidiſſent, lembum militibus armatum ad explorandum mittebant. Præmiſſa quoq; fuit Venatio, ad explorandum vadum, aptumq; ad projiciendas anchoras locum inquirendum, quæ nullo commodo loco invento rediit. Reuerſus autem lembus eorum ſignificauit inueniſſe ſe portum & ſtationem optimam. Intellexerunt etiam incolas ad lembum veniſſe & commeatum amicè obtuliſſe, ſuos tamen accipere eum non auſos fuiſſe, quod in mandatis id non habuerint. Erat autem pulcherrima terræ facies conſita arboribus & viridi amœnitate diſtincta. Habebant tum 16. graduum & 20 minutorum altitudinem. Quanquam autem valdè conniterentur, portum tamen ad quintum vſq; Octobr. aſſequi non potuerunt.

Perueniūt ad ciuitatem Aquapolque.

Miſerunt autem lembum ad terram cognoſcendam & explorandum, an milites in eam exponi, & commeatus ibi haberi poſſet. Verum ad terram appellere, propter fluctuum ad eam allidentium vehementiam non potuerunt, facilè enim lembus iſte ſi propius aduectus fuiſſet, ſubmergi fluctibus potuiſſet. Proiecerunt autem omnes ſimul anchoras ſuas ad 40. cubitos, ſub 16. graduum & 40. minutorum eleuatione, concluſumq; à Senatu nautico fuit, vt ad explorandum commeatus aduehendi modum tres lembi ad terram appellerent, ſed & illi alliſione fluctuum impediti fuerunt. Conſpexerant in terra incolas, nutu ſeſe inuitantes, ſed non dabatur acceſſus. Viſa quoq; in campis oberrare pecora, ſed fruſtra. Nautæ tamen aliqui in mare deſilientes, cum in terram veniſſent, infinitum ceruorum numerum viderūt, qui ipſis viſis aufugerunt. Tandem igitur decimo Octobr. ad angulum quendam anchoras projecerunt, pone quem ſita erat ciuitas *Aquapolque*, quæ portum admodum oportunum habebat.

Experiuntur magnā Hiſpanorum humanitatē.

Die 11 laborabant admodum, vt portum intrarent, ſed propter Malaciam non poterant, cum autem circa meridiem ea ceſſaſſet, vniuerſa claſſis portum ingreſſa anchoras proximè ad arcem fixerunt. Hiſpani quidem decem ictibus tormentorum eos petierunt, ſed cū pacis vexillum præfixum vidiſſent, abſtinentes à tormentis, omnia lautè ipſis promiſerunt. Venerunt autem ad Admiralium duo Hiſpani, Petrus Aluares major ſatelles, & Franciſcus Menendus Vexillifer, Belgicæ linguæ peritus, vtpote qui diu in Belgio militauerat. Hi factis Admiralio promiſſis, poſt feſtas congratulationes ad ſuos redierunt. Cum nox facta eſſet, naues ſuas vſque ad arcem protraxerunt, & inde apparatum bellicum & omnem ipſorum ſtatum ſpeculari quam optimè poſſent. Dubitantes autem de Hiſpanorum fide tormenta & arma omnia præpararunt. Cumque poſtero die ad certiora perquirenda lembum miſiſſent, redierunt ſtatim duo illi Hiſpani obſides ſeſe offerentes, donec promiſſis ſatisfactū eſſet. Oſtenſis igitur vltro citroque plurimis amicitiæ ſignis tandem conuenit, vt vniuerſos captiuos ſuos ipſis traderent, & contra ab ipſis oues quadraginta, gallinas item aliquot, cum pomis aurantiis, citriis & aliis id genus acciperent.

Captiui Hiſpani liberantur.

Icto fœdere veniunt ad claſſem ipſorum Duces ac proceres primarii, atque inter alios Capitaneus quoq; Caſtilioneus, qui 20. & amplius annis in Belgio meruerat, magnam beneuolentiæ ſignificationem præ ſe ferentes, contra vero Admiralius plurimos in terram dimiſit qui annonam & commeatum conueherent. Sequens dies conuehendis neceſſariis omnibus tranſactus fuit. Circa veſperam Hiſpani miſſa ad Admiralium liburnica, lytrum pro captiuis Hiſpanis die poſtero exhibituros ſeſe promiſerunt. Facto die oppidani poſt exploſa in ipſorum honorem tormenta promiſſum illud lytrum, boues nempe, ouesq; & gallinas cum fructibus aliis, ingenti Hollandorum gratulatione & gaudio attulerunt. Venit autem ad Admiralium *Melchior Hernando*, Vice-Regis nouæ Hiſpaniæ nepos, vt claſſem contemplaretur, quæ potentiſſimam iſtam Regiā ſuperarat. Exceptus igitur ab Admiralio lautè admodum fuit armatis militibus ad oſtentationem in acie diſpoſitis. Interea autem Admiralii etiam filius cum Fiſcali, qui in ciuitatem profecti fuerant, à Gubernatore magnificè excipiebantur. Sub veſperam præter ſclopos tria in ſingulis nauibus exonerata tormēta in Hiſpanorum gratiam fuerunt. Sequenti die captiuis magna cum ciuitatis gratulatione libertas data fuit.

Milites & alii in claſſe ægroti recreātur.

Dum hæc ita tractantur, claſſi interim de commeatu neceſſario abundè proſpectum fuit. Eratque hæc recreatio claſſi admodum neceſſaria, morbis nimirum quotidie inualeſcentibus, idque in Sole potiſſimum, vbi vltra ſexaginta ægroti numerabantur. Eam enim ob cauſam, ſi amicè noluiſſent Hiſpani cum ipſis tractare, vi armata ſibi comparare commeatum

tum ſtatuerant, quod ſane difficile admodum & periculoſum valde fuiſſet. Erat enim arx iſta 70. æreis tormentis multisque ſclopetis, & omni alio armorum genere, quod jam ante octo menſes de aduentu ipſorum edocti fuerant, inſtructa.

Aquapolque ciuitatis ſtatus.

Gubernator oppidi Gregorius de Porreo nomine, quadringentis viris imperabat, exceptis nobilibus & voluntariis, quorum non pauci ibi aderant. Oppidum autem ipſum annonæ laborat inopia. Eam enim è longinquis locis terreſtri itinere afferre eos oportet, & quæ ex *Manilibus* adueniunt naues commeatum ibi petere ſolent. Mirabantur Hollandi tantam præter ſolitum in Hiſpanis humanitatem, qui tametſi fortè victoriam obtinuiſſent tamen cum pecoribus omnibusque bonis ſuis in ſyluas ſe recipere potuiſſent.

Intercipiunt nauem quandam.

Cum ſibi de commeatu ſatis proſpexiſſent, ſecundo vento in altum vecti ſunt, per dies autem aliquot curſum obliquantes, vix quicquam profecerunt, obſtante Malacia. Die 25. Octob. nauem quandam in littore ab anchoris jacentem conſpexerunt, quatuor itaq; lembos emiſerunt, qui eam interciperent. Vt viderunt autem Hiſpani aduenientes lembos, plerique abſciſſis malis, cum iis in mare ſe præcipitarunt, atque ad littus adnauigarunt. Remanſerant in naui vndecim, Nauarchus nempe, duo Monachi & alii. Hi primo aggreſſu ſclopeta diſploſerunt, ſed Hollandi nihil id curantes, cum naui ad claſſem eos adduxerunt. Erat ea ſupellectile nullius momenti & commeatu aliquo onerata, qui inter naues diſtributus fuit. Egreſſi fuerant vt vniones & margaritas piſcarentur, ſed nihil adhuc ceperant. Armata erat quatuor æneis & duobus lapideis tormentis, itemque apparatu alio ad pugnam magis, quam ad piſcationem faciente. Nauem iſtam Lunæ Gubernatori commiſerunt, poſitis in eam viginti duobus tam ſociis quam armatis, vt cum ea claſſem ſequerentur.

Portus Selagues.

Habebant ibi altitudinem 18 graduum & 11. minutorum. Orta autem ſuaui & tranquilla tempeſtate, ad 10. vſque Nouembris profecti ſunt. Eo die ſub veſperam anchoras projecerunt ante portum *Selagues* appellatum, ſub altitudine 19. graduum. Cognouerant enim à captiuis, quos in naui iſta interceperant, haud longè abeſſe recentem & piſcoſum fluuium, citriis aliisque fructibus conſitum, adeſſe etiam ad duas tantummodo leucas prata cum pecoribus. Miſſi ſunt itaq; duo lembi militibus armatis inſtructi, qui viſo flumine & fructibus, eò quod hominum calceatorum veſtigia ibi apparerent procedere vlterius auſi non fuerunt. Suſpicabantur Hollandi veſtigia *Aquapolcenſium* Hiſpanorum eſſe, adſerebant enim captiui, exceptis tribus aut quatuor Hiſpanis terram omnem iſtam ab Indis habitari. Miſſus itaq; ab Admiralio in terram ex captiuis aliquis fuit cum literis, vt amicè peteret pecora & fructus nonnullos ad claſſiarios recreandos. Cum autem nemo ibi inueniretur, literæ ad ramum arboris ſuſpenſæ fuerunt.

Pugna cũ Hiſpanis in portu Selagues.

Sequenti die cum ducentis militibus ad terram appulerunt, expoſitis albis vexillis, verum, Hiſpani in littore cærulea agitabant vexilla bellum ſignis intentantes. Vix autem in littus deſcenderant, cum ſubito ingens Hiſpanorum numerus ex proxima ſylua prorumpens, horribili clamore in eos irruit, qui territi primo fugam meditabantur, ſed obſtitit præfectorum auctoritas. Sumptis igitur animis pugnam capeſſentes, hoſtes in fugam verterunt, metu autem inſidiarum ab vlteriore perſecutione ſibi temperarunt. Ceciderat cum plurimis aliis Hiſpanorum Centurio. Ex Hollandis vero duo interfecti & ſex aut ſeptem vulnerati fuerunt.

Portus Natiuida.

Soluentes iterum die 15 ad portum *Natiuida*, tribus inde leucis diſtantem proceſſerunt, ſperantes ibi aquationem & fructuum conuectionem tutam fore. Portum poſtridie ingreſſi anchoras ad 20. cubitos projecerunt, Venatione ad lapidis jactum ab oſtio fluminis, vt aquantibus præſidio eſſet, relicta. Poſtero die Admiralius cum plurimis militibus & Sociis ad majorem ipſis ſecuritatem præſtandam, & hoſtium inſultus prohibendos, in terram exſcendit. Cum autem tuta omnia eſſent, omnia ſua vaſa recenti aqua impleri curauit.

Monachus captiuus commeatum affert.

Miſſus autem fuit eo die ad Indos ex Monachis illis captiuis iunior, vt commeatum ab ipſis amicè peteret. Ille reuerſus duos equos, gallinas & fructus varios geſtantes attulit, addita promiſſione, ſe poſtridie duplo amplius allaturum, quod & præſtitit. Retulit etiam, nullum ibi Hiſpanum adeſſe, ſed omnes ad ipſos inquirendos egreſſos eſſe. Dum autem vltro citroq; commeant de neceſſariis omnibus claſſi abundè prouiſum fuit. Iter igitur iterum ingreſſi in altum proceſſerunt, & ſatis commoda tempeſtate ad 24. vſque vſi ſunt. Non longè autem tum aberant à promontorio *Lorentio*, concluſum autem à Senatu nautico fuit, vt ad portum *San-Lucæ* tenderent, & naues è *Manilibus* ibi expectarent. Quia verò deinde viſum eſt, profectionem ſuam negligi, ſi naues & nuncios è Manilibus expectarent, ſtatutum fuit, vt recta ad *Ladrones* inſulas procederent.

Die

Inſulæ in vaſto mari procul à cõtinente remotæ.

Die 3. Decemb. duæ conſpectui ipſorum inſulæ oblatæ ſunt, non abſque ingenti admira tione nautarum; qui non putabant adeo à continente remotas in vaſto mari eſſe Inſulas. Se- quenti die, rupem procul intuiti, nauem eſſe initio arbitrabantur. Gaudebant igitur occur- rere iam, quod longo jam tempore expectauerant. Propius autem accedentes, deceptos ſe videbant. Sita autem erat rupes iſta ſub altitudine 19. graduum, vltra 55. leucas à continente, in vaſto mari, ab omni terra remota. Cum eſſent ſub eleuatione 18. graduum & 20. minuto- rum, noua rurſus inſula ipſis apparuit quinque collibus diſtincta, quorum ſinguli peculiares inſulæ videbantur.

Anno 1616 Multi in claſſe moriuntur.

Toto Decembri & Ianuario etiam ſequentis 1616 Anni, ſecundo curſu progreſſi ſunt. Ta- m etſi autem tempeſtate per cõmoda vterentur, morbus tamen in claſſe admodum inualu- it, & multi, inter quos etiam ſupremus apparatus bellici præfectus, mortui ſunt. Depoſita eſt etiam apud Admiralium querela de peregrinę nauis præfectis, quod vino nimio vterentur & ſociis nil niſi aquam bibendam darent, quod ne poſt hac facerent ipſis interdictum fuit.

Conſpic iunt inſulas Ladrones.

Die 23. Ianuarii apparuerunt ipſis Inſulæ *Ladrones*. Terra autem erat demiſſa & plana, itaq; ingruentibus tenebris, verentes ne in terram inciderent, contractis velis per totam noctem nihil promouentes quieuerunt. Sequenti die prope terram erant, moxque Indi cum lembis ſuis in circuitu claſſis remigabant, propiore tamen acceſſu abſtinentes At ipſi de ſenatus to- tius ſententia, cum tota claſſe ad terram appulerunt & amice beneuoleque cum Indis tranſ- egerunt.

Supremus Luciferi mercator moritur morte ſubitanea

Sequentibus aliquot diebus non ceſſarunt Indi vltro citroque commeare & omnis gene ris herbas fructuſque aduehere ad recreationem ægrotorum, Quia autem ſupremum Luci- feri mercatorem prandẽtem & ſanum vertigo ſubito inualerat, ita vt ſtatim moreretur, Ad miralius coacto ſenatu ſtatuit, vt leuatis anchoris à terra paululum recederent Cum vero Mercatoris iſtius funus crebra tormentorum & ſcloporum diſploſione proſecuti eſſent, In di tanto metu perculſi ſunt, vt licet præmoniti eſſent, diſſipati tamen redire amplius auſi non fuerint.

Sublatis itaque anchoris vela fecerunt ad Inſulas *Maniles*: verum obſtãte tota nocte ma- lacia parum profecerunt. quin imo ad littus rurſus propulſi ſunt, quo viſo Indi magno rur- ſus numero redierunt, in altum vſq; claſſem inſequentes & omnis generis fructus atq; com- meatum apportantes, donec inſurgente validius vento, inſequi vlterius non poſſent.

Ladrones Inſulæ à quo inuentæ.

Tota nocte plenis velis proceſſerunt, ita vt poſtridie è conſpectu ablata ipſis terra fuerit. *Ladrones* iſtæ inſulæ inuentæ ſunt Anno 1519. à Magellano, qui eas *Velas* primum appellauit, ob innumeram, quæ ibi cernũtur, velatarum nauium artificioſe confectam multitudinem. Indi ibi habitantes natandi arte excellunt, deſcendunt enim vſque ad fundum vrinantes & proiectum etiam in mare ferrum, (cuius rei Hollandi aliquoties periculum fecerunt) edu- centes. Inſita eis à natura eſt furandi libido, quod animaduertens Magellanus *Ladrones* eos appellauit. Robore præcellunt vterque ſexus valentq; ingenii acumine & ſubtilitate. Magna ibi gallinarum eſt aliarumque volatilium, maxime vero piſcium copia. De religione ipſorũ nihil certi conſtat, animaduerſum tamen eſt idolorum cultores eſſe.

Promõtorium Sancti Spiritus

Sequentibus aliquot diebus mediocriter proceſſerunt, vſque ad nonum Februarii, quo die Promontorium *Sancti Spiritus* ipſis apparuit. Eo ſuperato felici admodum progreſſu ad *Maniles* vſque profecti ſunt, vbi circa veſperam ad 13. cubitos anchoras proiecerunt.

Inſulæ de Maniles.

Putarunt autem ad Inſulam de *Capul* anchoras proieciſſe, itaque in terram exſcendentes & amice cum Indis conferentes, intellexerunt inſulam iſtam, quam attigiſſe ſe arbitraban- tur, ante eos ſitam eſſe. Petentibus autem commeatum denegarunt, conſtare ſibi affirman- tes, adueniſſe eos ad Hiſpanos ſocios ſuos oppugnandos. Cum precibus nihil efficere & obti- nere poſſent, vi tamen abſtinendum Admiralius cenſeret, lembis ad claſſem reuocatis, cur- ſum ſuum verſus inſulam *Capul* direxerunt.

Inſula Capul.

Eam 11. Februarii aſſequebantur, jactis in commodo portu, iuxta caſas aliquas in littore ſtantes, anchoris. Facta exſcenſione, aderant ſtatim Indi familiariter cum ipſis conferentes. Non denegabant commeatum licet non ignorarent ad oppugnandum Hiſpanum aduen- taſſe. Afferebant igitur gallinas, porcos & alia, polliciti poſtero die cum commeatu iterum adfuturos, quod etiam fecerunt. precii loco viles quaſdam reculas accipientes.

Ingrediũtur fretum Manillarũ.

Manſerunt autem iſto in loco vſque ad 19. Februarii, quo leuatis anchoris fretum Manilla num recta ingreſſi ſunt, duorumque Indorum opera clarum gubernantium breui promon- torium & portum Manillenſem aſſecuti ſunt. Medio illo tempore, quo per anguſtias iſtas na- uigarunt, in littore quotidie exſcenderunt ad nuces & fructus alios carpendos, Cumque nu-

ces iſtas ægrotis plurimum mederi cognoſcerent, vniuerſæ claſſi abunde ſatis de iis proſpexerunt. Incolæ ibi ſatis humani ſunt, veſtiuntur longis tunicis ad induſii modum factis. Sūmo in honore habent Eccleſiaſticos, cuius rei in Monacho quem captiuum in naui ſua habebāt, periculum fecerunt. Quam primum enim eū vidiſſent, accurrentes ſtatim incredibilem ipſi honorem manuum exoſculatione totiuſq; corporis inflexione exhibuerūt. Mulieres ipſorū ad ſyluas omnes profugerant, ita vt ne vna quidem conſpiceretur.

Lucon Inſula.

Anchoras ſuas 19 Februarii ad maximam inſulam proiecerunt, quæ *Lucon* appellatur, & in qua ſita eſt vrbs *Manila.* Conſpexerunt ibi domum quandam elegāti artificio in arborum aliquot cacumine exſtructam, quæ nobilis alicuius arcem eminus repræſentabat. Coacto in conſilium Senatu nautico, vt conſultaret quid optimum factu videretur, miſſi ſunt quatuor lembi ad domum illam contemplandam, qui reuerſi dicebant ruinas tantum ædificii alicuius apparere, nec quenquam in circuitu hominem videri. Audierant in Inſula *Capul* Hiſpanicam claſſem, aduentum ipſorum in *Manilibus* iam dudum præſtolari, cum autem nihil certi ea de re conſtare ipſis poſſet, optabant appræhendere Hiſpanum aliquem, qui de fama iſta verum aliquid ipſis referret.

Albaca mons ardens.

Cum neminem ibi inueniſſent perrexerunt vlterius littus legendo, videruntque in trāſitu incredibilis altitudinis montem perpetuo igne flagrantem, *Albaca* nomine, plenū ſulphure: proiecerunt autem anchoras ad 25. cubitos, iuxta angulum quendam ad littus, vbi ignem excitarant incolæ ad certiores reddendos de aduentu ipſorum vicinos. Sequenti die iterum progredientes, vſque ad 24. in freto vela fecerunt. Circa veſperā eius diei oſtium ſiue finem & egreſſum freti conſpexerunt mire anguſtum, fixis autem anchoris per noctem ibi quieuerunt. Die 25. præmiſerunt tres lembos ad explorandum tranſitum, cumque illi ſignum darēt, vniuerſa claſſis inſecuta, æſtuq; propellente per anguſtum iſtum tranſitū in mare inuecta eſt.

Perueniūt ad Inſulā Mirabelles

Laborabant tum magno conatu, vt portum Manilenſem intrarent, ſed malacia & aduerſo vento obſtantibus nihil profecerunt. Apparebant vero in terra diuerſis locis ignes & lumina, cogitare igitur aliter non poterant, quam de aduentu ſuo vndique conſtare. Cōfirmabat opinionem ipſorum parua quædam nauicula perpetuo ipſos inſequens quæ tanta celeritate ferebatur, vt fruſta eam appræhendere conarentur, & ea quidem nauicula nuncium de ipſis vndiq; perferebat. Sequentibus aliquot diebus ad portum aſſequendum fruſtra laborarunt. Anchoras autem proiecerunt ad 40. cubitos vno à portu miliari, iuxta angulū ad ipſum vſq; portum protenſum. Circa mediam noctem dato ab Admiralio ſigno procedere tentabant, ſed fruſtra. Nam & reliquū noctis & totum ſequentem diem obliquādo procedere propter malaciam coacti fuerunt. Vltimo Febr. tandem ad portus introitum delati quieverunt prope inſulam *Mirabelles*, duobus excelſiſſimis rupibus formidabilem poſt quas ipſa vrbs *Manila* ſita eſt In hac Inſula perpetuæ ſunt in nocte excubiæ, expectantque Nauarchi venientes è *China* naues, vt eas ad vrbem dirigant, eſt enim periculoſus aliquot locis ingreſſus, de quo Hiſpanicus Nauta eos admonebat. Hærentes ibi ab anchoris, duas naues è longinquo viderūt, ab vno ad alterum littus commeantes, tres itaq; lembos armatis inſtructos miſerunt ad eas perſequendas, dederuntq; eis in mandatis, vt ad capiēdum aliquem, ex quo certi quid intelligerent, neruos ſuos omnes intenderent. Verum opera omnis ob nimiam nauium iſtarum celeritatem fruſtranea fuit.

Intercipiūt Liburnicas quatuor.

Poſtquam lembi iſti ſub veſperam reuerſi eſſent, omnes Nautas & præfectos Admiralius conuocauit, concluſumq; eſt, vt quam primum id fieri poſſet, leuatis anchoris vela facerent, & portum tandem aliquem ingrederentur. Mane igitur ſublatis anchoris obliquo curſu velificarunt, cumque veſpera facta eſſet, quieuerūt iuxta exiguam Inſulam ad continentē porrectam Pone eam Inſulam quatuor viderunt liburnicas, totidem igitur lembos armatis inſtructos emiſerunt, qui captas eas ad claſſem ſecum duxerunt. Qui enim in eis fuerant, cum mercibus ſuis profugientes liburnicas deſeruerāt, vna tamen oleo, oryza, gallinis, fructibus, aliaque annona onerata erat, quæ quidem percommode ipſis accidit, cum eius penuria iam maxima laborarent. Poſtero igitur die præda iſta inter Claſſiarios omnes diuiſa fuit.

Sinenſes aliqui comprehendūtur.

Facta diuiſione cum neceſſarium omnino videretur, vt ab Hiſpano aliquo de terræ iſtius conditionib. & rebus aliis edocerentur, miſſi rurſus ad terram 4. lembi cum plurimis armatis fuerunt, qui inuenta naui calce onuſta hominib. vero vacua, viſiſque è longinquo plurimis hominib. cum eos ad colloquium allicere non poſſent, ſub veſperam ad claſſem reuerſi ſunt. Sole iam occidente conſpiciebant in littore liburnicam extenſis velis nauigantem, ſumma igitur feſtinatione duos lembos miſerunt, qui eam nocte aſſecuti ceperunt, quia autem validior ventus erat, & præter ligna nihil in ea reperiebatur, acceptis ſex Chinenſib. eam in an-

choris

choris reliquerunt. Adducti ad ſenatum nauticum faſſi ſunt, alias præterea locis iſtis liburnicas eſſe, omni genere commeatus & merciũ oneratas. Emiſſi ſunt igitur adhuc duo lembi datumque ipſis in mandatis eſt, vt nulli labori in aſſequendis eis parcerent.

Die 15. cernebant ex mari recta ad ipſos tendentia duo vela, moxq; Venator cum nauicula alia quam Vnionem vocabant, ad ea adducenda miſſus fuit Nocte autem duo iſti lembi totidem liburnicas ceperunt, quæ cum Sinenſibus aliquot & vno Hiſpano, ad vectigalia & tributa quæ à circumiacentibus locis vrbi Manilenſi quotannis penduntur, colligenda emiſſæ fuerant. Oneratæ aũt erant Oryza, gallinis, annona varia & mercib. nõnullis aliis. Redierũt autem & Venator cum Vnione adducentes ſecum tres liburnicas, quarum duæ ceruinis pellibus, tubaco, gallinis & aliis exigui momenti mercibus oneratæ erant, quarum omnium in claſſe diſtributio facta eſt.

Edocentur de claſſe Manilenſi contra eos parata.

Ab ijs igitur qui in liburnicis iſtis erant edocti de noua claſſe Hiſpanica fuerunt, eam nempe in Manilibus confectam ſub imperio *Iohannis de Sylues* ad *Molucas* proceſſiſſe, vt cum aduentantibus ipſis ibi confligeret. Conſtabat autem decem maioribus nauibus ingentis magnitudinis & quatuor triremibus, quibus duo millia Hiſpanorum vehebantur, Indis, Chinenſibus & Iaponijs, quorum ſimiliter non exiguus erat numerus, exceptis.

Claſſis noua Hiſpanica in Manilibus cõfecta.

Admiralius die 7. Martij liburnicam cum tribus Chinenſibus ad vrbem *Manilenſem* mittebat cum literis ad Conſiliarios Hiſpanos ſcriptis, quibus tam Hiſpanos, quam Chinenſes & Iaponios captiuos pro liberatione ſuorum offerebat. Venatio autem cum lembis aliquot ad terram appulit vt quatuor illas interceptas liburnicas, propter tempeſtatem in anchoris relictas adducerent. Et quidem ea cum liburnicis iſtis ſequenti die reuerſa, nucibus alijſque fructibus oneratas deprehendit, bobus duobus & vno ceruo ſimul in eis repertis quos ſclopo traiecerunt. Cæterum habito conſilio decretum fuit ſequenti die progrediendum eſſe, niſi Chinenſes quos cum literis emiſerant, reuerterentur.

Mittuntur litteræ ad Manilenſes.

Cognouerat Admiralius hoſtilem claſſem 4. Februarij primum ſoluiſſe, itaque præmiſſa matura deliberatione ſtatuit tempus lucrandum eſſe. Alioqui enim ſi moras necterent verendum erat, vt dimidio anno iter ſuum retardaretur. Tranſeunt hac quidem medio fere Aprili qui è *China* venire ſolent Iunci, magna itaq; ſpes prædæ affulgebat, verum expedire putabat ſenatus, vt abſq; omni mora ad Ternatenſem inſulam progrederentur, vt nimirum ſuis quos ibi verſari nouerant, auxilio venirẽt. Addebat animũ ipſis, qđ ſex nauib. conſtaret claſſis ſua & quod fortib. atq; exercitatis militib. omniq; bellico apparatu inſtructa eſſet. Cognouerant autem Iohanni de Sylues in animo eſſe, validiſſima iſta claſſe, in qua comparanda tres annos cõſumpſerat, vniuerſas *Molucas* expugnare & in poteſtatem ſuam redigere, ipſi tamen ſpem bonam conceperant fore vt exoptatum amicis & ſocijs ſuis ſubſidium præſtarent, quod etiam vnice in votis habebant.

Decretum faciunt de auxilio Moluccenſibus ferendo.

Cum igitur nuncium de Chinenſibus quos ad Hiſpanos miſerant nullum acciperent, ſublatis anchoris: vela 10. Martij rurſus fecerunt, curſu ſuo recta ad *Molucas* directo. Antequam tamen abirent, Admiralii iuſſu in libertatem adſerti & cum liburnicis ſuis ad littus dimiſſi ſunt omnes Chinenſes & Iaponii, retento tantum Hiſpano & Indo vnico, quos ſecũ ad *Molucas* vexerunt. Sequenti die ad meridiem vſq; progredi non poterant, poſtea vero ventum admodum ſecundum nacti ſunt, ita vt progreſſi circa veſperam ad multas inſulas venirent. Tanta autem eos inſularum multitudo circumdabat, vt nuſquam patere videretur egreſſus, itaque conſulto ea de re Hiſpanico quem ſecum habebant nauta ex ipſius ſententia, propter ingruentem noctem nihil proceſſerunt, ſed curſum tantum hinc inde obliquarunt. Sequenti die nautæ iſtius Hiſpanici ductu & auxilio per omnes anguſtias in vaſtum mare euaſerunt.

Dimittuntur captiui Chinenſes & Iaponii.

Paulo antequam mare eſſent ingreſſi, conſpexerunt in littore nauiculam. Ad eam intercipiendam tres lembos emiſerunt. At qui in ea erant exſilientes nauiculam deſeruerunt. Adducta igitur ad claſſem & Oryza, fructibus, ciſtiſque nonnullis exonerata fuit. Die 14. quieuerunt ad inſulam *Pancij*, Hiſpanici ſui nautæ admonitu, propter vada, quæ noctu non ſine periculo ſuperari poterant.

Nauicula cum Oryza & rebus aliis intercepta.

Progreſſi ſecundo curſu vſq; ad 18. inſulam *Mendunao* attigerunt. Intelligentes autem cæcas ibi rupes & vada eſſe, curſum ſuum in altum flexerunt. Veſpera facta anchoras ad 36. cubitos quam proxime ad littus proiecerunt. Statim autem nauicula quædam ad claſſem acceſſit, promiſitq; ſe ad ſequentem diem omnis generis cõmeatum allaturam, afferens ſimul opus non eſſe vt in terram exſcenderent. Fidem habentes verbis iſtis, decepti minime fuerunt, vt primum enim dies illuxiſſet, promiſſa ſeruantes incolæ, gallinas, piſces & alia id genus magna

Inſula Mendunao.

copia advexerunt viliſſimo ea precio vendentes, ingentem etiam porcorum multitudinem adduxiſſent, ſi exſurgentes ſubito ſecundiſſimos ventos prætermittere & commorari ibi diutius voluiſſent.

Promontorium de Cadera.

Rebus itaq; ibi confectis progreſſi iterum ſunt, & brevi tempore promontorium *de Cadera* attigerunt, vbi Hiſpanicæ naues, quæ ad *Molucas* tendunt, aquas recentes accipere ſolent. Proiectis ſtatim anchoris lembos quoſdam emiſerunt, vt de hoſtili claſſe inquirerent. Reuerſi nihil cognoſcere potuiſſe ſe reſponderunt, nullas enim præter paucas quaſdam naues ſibi viſas ad *Molucas* tendentes, quæ eo in loco commeatum accepiſſent. Progreſſi porro ad 23 ſumma tranquillitate utebantur, & nihil ferè ſtrato mari proficere poterant, niſi quantum æſtus impellebat, quo ceſſante anchoras proiecerunt inter duas inſulas *Mindenao* & *Tagimo*, quarum anguſtias breui poſtmodum tempore ſuperarunt.

Commercia exercēt cum Mindenaenſib.

Interea dum aduerſo æſtu impediti quieſcerent, advehebant ipſis incolæ gallinas, porcos, capras, piſces recentes, tubacum & alium omnis generis commeatum, accipientes pro eo pecuniæ aliquantulum, itemq; linteum, cultros, corallium & alia, quibus mirificè delectabantur. Permiſſum quoq; ab Admiralio omnibus fuit, vt cum incolis, quæ vellent permutare ſinguli poſſent, eó quod fertilis præ omnibus aliis hic locus, & rerum omnium abundantiſſimus animaduerteretur. Incolæ hoſtes Hiſpanorum, ipſorum verò amicos ſeſe oſtendebant, & Supremus eorum Gubernator auxilium Admiralii adverſus Hiſpanos offerebat, quinquaginta nempe nauiculas ſuo more inſtructas. Exhibuerunt præterea Admiralio literas, ſubſignatas à Laurentio Realio, ex quibus cognoſcerent, Mindenaenſes incolas, amicos ſuos eſſe, & propterea omni humanitate & beneuolentia tractandos.

Perveniūt ad inſulam Ternatam

Progreſſi inde ad 26. vſq; ſecundo curſu nauigarunt. Eo die cum continuis imbribus tempeſtas vehemens exorta Admiralii velum diſrupit, & reliquis etiam nauibus damnum haud exiguum intulit. Sequenti die præteruecti ſunt Inſulam *Sanguinenſem*, iuxta quam plurimæ aliæ diverſæ magnitudinis inſulæ comparebant, quarum nomina recenſere neceſſe nō eſt. Peruenerunt autem die 29. ad inſulam *Ternatam*, in qua ſita eſt *Malaia* oppidum ad ditionem Hollandorum pertinens. Quamprimum autem ciuibus aduentus ipſorum innotuit, venerunt ad claſſem Centurio, Hamelus & Franciſcus Lenimenius qui Gubernatori à Secretis erat, feſta aduentum ipſorum gratulatione celebrantes.

Excipiuntur à Gubernatore Ternatēſi.

Portum inuecti anchoras proximè ad ciuitatem proiecerunt. Venit autem ſtatim ad claſſem Gubernator ipſemet, & poſt multa vltro citroq; exhibita beneuolentiæ, & amoris ſigna cum præfectis omnibus Admiralius in terram exſcendit. Extra fretum in inſulæ circuitu centum vbiq; cubitorum ibi profunditas eſt. Ad orientalem autem plagam recens aqua eſt, vbi aquam pro navibus acceperunt, ſed vadum ad figendas anchoras ibi non reperitur. Ad plagam vero occidentalem duabus circiter leucis, ſaxoſum vadum ad quatuor & ſex cubitos reperitur.

Milites omnes in terram deſcendunt.

Die 3. Aprilis appulit *Malacam* nauis quædam è *Chila*, omnis generis mercibus onuſta, quæ confeſtim ad littus protracta eſt. Fixit autem apud Admiralium in portu anchoras ſuas navis ipſorum cui *Laro* nomen erat, & aliàs *Aquila* nominatur, idq; eo fine ut commeatum, porcos gallinas, fructus & alia neceſſaria, pro nauibus, ex ciuitate & circumiacentibus munitionibus conquireret. Accepto commeatu *Larus* Bandamum verſus diſceſſit, ſequente eam *Aeolo*, quæ tamen nauis 16. Aprilis ad claſſem iterum reuerſa fuit. Dum ibi quieſcerent venit ſecundo ad claſſem inſularum iſtarum Gubernator, & Admiralium de abſoluta ſua *Molucas*, *Bandam* & *Amboinam* gubernandi poteſtate edocuit, abſq; Admiralii tamen præiudicio & auctoritatis in claſſe diminutione, quo facto vniuerſi milites in terram exſcenderunt.

Admiraliꝰ Amicos & Præfectos omnes cō uiuio excipit.

Admiralius poſt actas Deo, peracta tam periculoſa & longa nauigatione, gratias, ſplendidum admodum conuiuium in naui ſua omnibus & vniuerſis Ducibus militum, locumtenentibus, vexilliferis, aliisq; præfectis, Mercatoribus, Nauarchis & Gubernatoribus exhibuit, gratiasq; ipſis pro præſtita ſibi beneuolentia & ſubiectione maximas egit. Sequenti die *Malaca* diſcedentes ad *Macian* profecti ſunt, vt impedirent, ne ex peregrinis nauibus clauos hoſtis abduceret. Aſpirante vento *Macian* breuiſſimo temporis ſpacio attigerunt, & anchoras ad caſtellum, quod *Mauritii* nomine appellatum eſt, proiecerunt.

Admiraliꝰ propugnacula ad Maniam viſitat.

Facta exſcenſione Admiralius locum & munitiones omnes viſitauit, *Mauritio* nimirum *Tafacoium*, *Talabolam* & *Noſacam* profectus, atq; inde ad *Mauritium* iterum reuerſus Cū ad *Tidorem* inſulam veniſſent, intellexerunt à Caſſeltonio quatuor Anglicarum navium præfecto, quod Commendator Iohannes Theodorus Lammius cum duodecim bellicis nauibus omni apparatu bellico inſtructis ad *Pandas* inſulas adveniens, vnam earum *Polevvay*, opibus

bus & fertilitate longè præcellentem,vnde ingens nucum myriſticarum copia afferri ſolet, vi armata expugnaſſet.

Aciem enim ſuam hoc modo diſpoſuerat, præceſſerat ViceColanellus Gisbertus de Vianen Vltraiectenſis comitantibus eum Centurionibus,Henrico Steur, Henrico Goſdey & Guilhelmo Iacobi,qui omnes erant ducenti & quadraginta viri, præter Iaponas nonnullos. In media acie ſecutus fuerat Centurio Lambertus Adami,Petrus Baccer, Iohannes Verhœuen,& Isbrandus Cornelius,cum militibus ducentis quinquaginta. Clauſerat aciem Centurio Henricus Beuerlingus cum Centurionibus Abrahamo Hallingio, & Henrico Herenthalio,quorum numerus conſtabat ex ducentis & triginta armatis, Sociorum & Nauarcharum turba excepta.Duo præterea ex Selandia oriundi Centuriones, vniuerſæ claſſi præfuerant,& tormentorum belliciq; apparatus curam geſſerant. Satelles Maior fuerat Hadrianus Duſſenus.Horum opera uſus,exiguo temporis ſpacio poteſtatis ſuæ inſulam iſtam fecerat Et hoc quidem ſucceſſu commoti circumiacentium inſularum incolæ,novum cum ipſis fœdus,magno Indicæ ſocietatis bono fecerunt. Polevvay inſula ab Hollandis occupata.

Admiralius 18 Maii.tam è triremibus Hiſpanorum,quam ex carceribus liberabat ſeptem Captivos Belgas,qui quartum iam annum captiui detinebantur, facta permutatione cum Monacho,Hiſpanico Nauarcho,duobus Hiſpanis quos in mari auſtrali cæperant, & alio præterea Hiſpano quem è Manilibus adduxerant. Et captiui quidem iſti prorumpebant in altas vociferationes,maximo nimirum tam ſubitæ & inexpectatæ liberationis gaudio elati,Deoq; inprimis,deinde Admiralio maximas gratias agebant. Inſequenti nocte transfugit ad eos alius quidam Belga captiuus,dictus Petrus de Viuere,cum uxore ſua, qui multo tempore in Hiſpanica trireme degerat, verum propterea quod Hiſpanicam vxorem duxerat,& excellens aurifaber erat,ea iam libertate fruebatur,vt tandem modum ad claſſem penetrandi inuenire potuerit. Captiui quidam liberantur.

Interea Admiralius à Maleienſi Gubernatore accepit,quibus monebatur, Hiſpanicam nauem quandam quæ è *Manilibus* veniſſet,*Gammelamme* in anchoris iacere, itaq; confeſtim Viceadmiralius *Maletam* miſſus fuit. Cumq; biduo poſt alias rurſus literas à Gubernatore iſto Admiralius accepiſſet,& Lucifer interim ad claſſem rediiſſet,vela ſtatim tendentes *Maleiam* reuerſi ſunt.*Tidorem* vero tranſeuntes,aliquot tormentorum ictibus,ſed fruſtra petebantur, cumque 28. die cum quatuor nauibus *San Mariæ* portum ingreſſi eſſent,Admiralius ſtatim *Maleiam* profectus eſt. Non multo autem poſt ad claſſem reuerſus vnà cum Gubernatore & Præfectis aliis *San Mariæ* munitionem ingreſſus fuit. Reuertuntur Maleiam ad petitionem Gubernatoris.

Certior deinde factus Gubernator literis ex *Macian* acceptis, viſas eſſe in alto mari naues quaſdam, unde autem venirent ignotum eſſe, petunt vt vela in altum facerent, quod ipſi quoq; ſumma diligentia perfecerunt.Reverſi autem 1 Iunii iactis in portu Maleiẽſi anchoris quieuerunt. Aduenientes tum ex *Amboina* duodecim naues aliæ,claſſi ſeſe ipſorum coniunxerunt,ita vt iam ſeptendecim numerarentur Iudicabant tum quidem aliqui, tempus otio non terendum, ſed tentandum aliquid in loca Hiſpanis ſubiecta, verum nihil eiuſmodi factum,dataq; fuit Admiralio à Generali Gubernatore,18 Iulio,plenaria in duas naues.Amſtelodamenſem & Selandicam poteſtas,ut cum illis *Bantamum* proficiſceretur.Itaq; 19.Iulii iter ingreſſus,cum duabus iſtis nauibus ad inſulam *Bantam* pervenit. Admiralius cũ duabus nauibus Bantamũ pficiſcitur

Placet hic in gratiam Lectoris inſerere diſcurſum de *Molucis* inſulis, celeberrimi viri Apollonii Schot Middelburgenſis Selandi, ſic enim ille,inter alias inquit, Regni Luſitaniæ excellentias,una ex maximis erant utiliſſimæ negotiationes,quas ex *Molucarum* poſſeſſione impetraverant. Aromata enim penè omnia, iam per ipſorum manus vniuerſus orbis accipiebat,ingenti profecto dolore Venetorum,à quibus diues illud commercium Luſitani diverterant,aliorumq; Regnorum & Prouinciarum, quæ tanti boni inuidia, in ſe illud transferre tentabant. Diſcurſus Apollonii Schot Selandi de Molucis.

Principio igitur mutuo bello cum Luſitanis Hiſpani concurrerunt propter Molucarũ poſſeſſionem.Deinde ſub Franciſco Dracone Angli fœdus percuſſerunt cũ Ternatenſi Rege, ut Commercium ſuum firmarent,quod deinde bis ab iis tentatum Middeltonii ductu fuit. Tandem à Belgis eò res deducta eſt,vt Luſitani locis iſtis, quæ in *Molucis* poſſidebant plane priuarentur,ad quæ tamen Caſtiliani & Tidorenſium auxilio iterum introducti fuerunt. Luſitani in Molucis varie appugnati.

Rege Ternatenſi cum proceribus aliquot capto,reliq incolæ cum aliis primariis nonnullis pfugerãt, *Matelifii* poſtmodum opera iterum collecti & cõgregati, in Ternatẽſi inſula munitionem *Aurantiam* nomine extruxerunt,factoq; cũ Hollandis fœdere,tandem ipſorum poteſtati *Mathir, Maquiian* & *Batchian* pcipua Ternatẽſium loca pmiſerũt, Hiſpanis interim *Tidorẽ* Metropolim Ternatẽſẽ & nõnulla in *Gilolo* loca retinentib. D 3 Poſſi-

Quas munitiones Hollãdi in Ternatẽſi inſula poſſideant.

Poſſident igitur in Ternatenſi inſula tres munitiones *Malaiam*, quæ alias *Granoia* dicitur, quam Admiralius Mateliefius primus occupauit, Regis totiusq; nobilitatis habitationẽ & ſedem *Malac.*, quam Hollandiam appellant, dimidio circiter miliari à Maleia ſeptentrionem verſus diſtantem, in colle ſitam lapidibusq; & calce ab Hollandis extructam, eo quod vererentur ne potiti aliquando loco iſto hoſtes vniuerſam oram iſtam incurrerent, & portũ Maleienſem infeſtum redderent *Tacomem*, dictam *VVillemſtat*, ſitam partim ad ſeptentrionalem, partim ad occidentalem Ternatenſis inſulæ plagam, quam Viceadmiralius Simon Iohannes Hoen, qui mira celeritate hoſtem prævenerat intercepit. Eſt autem commodiſſima munitio iſta, propterea quod loca inter *Malacam* & *Tacomem* tueatur, & Hollandis aromata carpentibus ſecuritatem præſtet.

Mothir inſula ab Hollandis munita.

Inſula *Mothir* ſita inter *Tidorem* & *Macian*, mutuo Tidorenſium & Ternatenſiũ bello deſerta, nullum poſſeſſorem habuit donec Admiralius VVitor precibus Ternatenſium inductus munitionem in ea verſus ſeptentrionalem plagam ad Hollandorũ ſecuritatem exſtruxit, deducta colonia ex incolis q in *Gilolo* profugerant. Hiſpani quidẽ in animo habebant Mothireſias in patriam rurſus reſtituere, duorum enim millium numerum excedebant, ſed à præuenientibus Hollandis prohibiti fuerunt.

Maguian inſula.

Occupata eſt deinde ab Admiralio *à Carden* inſula *Maguian*, tribusq; munitionibus firmata, quarum prima *Taſaſon* iacet ad occidentem, altera *Noſſaguia* ad ſeptentrionem, tertia *Tabelole* ad orientem, ſuntq; loca hæc admodum populoſa, & plura adhuc oppida in circuitu inſulæ ſita continent. Incolæ nouem millium numerum complere dicuntur, ſi nimirum & incolas *Caioe* inſulæ ipſis adnumerentur, qui ad loca iſta interdum confugiunt, quod in locis ſuis hoſtium ſemper iniuriis expoſitos ſeſe animaduertunt. Eſt hæc aromatum omniũ Moluccarum fertiliſſima inſula, fructibus ſeipſam & alias nutriens, *Tidorem* & *Ternatem* inprimis quę ſuperbę admodum & bellicoſæ agriculturam negligunt, mutuis perpetuo pręliis odiisq; flagrantes, vario marte pugnantes, nunc his nunc illis victoribus, cum Maguiani & Mathireſii ad pacem magis & agrorum cultum propenſi ſint.

Borchiam Regnum vaſtum.

Regnum *Borchiam* eſt vaſtum atq; amplum, opibus, fructibusq; abundans, incolarũ tamen inopia laborans. Homines ſunt deſides, & non niſi delitiis voluptatibusq; dediti, quibus potentiſſimum illud Regnum ad miſerum deſolatũq;, quo hodie cernitur, ſtatum perduxerunt. Socii erant initio Hiſpanorum & Luſitanorum, qui in *Laboua* munitionem ſuam habebãt cum viginti armatorum præſidio. Habitant ibi ſeptendecim circiter Luſitanorũ, & octoginta Labouenſium Chriſtum profitentium familiæ. Occupatum eſt à Viceadmiralio Anno 1600, & munitione, ſufficienti præſidio firmata, munitum.

Gammoquorre civitas.

In continente relicta eſt Hollandis ſola *Gammequorre*, multis incolis referta ciuitas, ad quam Saborigenſes ſeſe, relictis Hiſpanis, adiunxerunt, quorũ rogatu locus ab Hollandis, impoſitis triginta militibus firmatus fuit. Locis & munitionibus iſtis omnibus tam de præſidio militum, quam de apparatu bellico abũde prouiſum fuit, ad vim hoſtium propulſandam.

Fœdus cũ Hollandis factũ ſeruatu impoſſibile.

Amicitiam tamen ꝑpetuam cum ipſis fore veriſimile nõ eſt, ꝓmiſſa n. quæ ingentia admodum Hollandis ab initio fecerunt, ſeruari non poſſunt. Sunt enim quædam in fœdere cõprehenſa, quibus incolæ nimium grauantur, videlicet vt cedant in commodum Hollandorum omnia, tam incolarum quam exterorum vectigalia, utq; ab omnibus oneribus & contributionibus liberi ſint, quæ quidem perpetuò vt ſeruentur, poſſibile vix videtur, cum præſertim nobiles & alii etiam ea conceſſa Hollandis eſſe negare iam non vereantur. Ab Hollandis verò etiam multa promiſſa initio fuerunt, quibus hactenus ſtare non potuerunt. Docet verò experientia populos, qui neceſſitate compulſi ad aliorum confugiunt auxiliũ, haud ægrè ſe ſubiicere, poſtea vero, rebus ſuis in integrum reſtitutis, acceptum illud iugum excutere remis velisq; ſolere, non eadem tamen ratione, nec pari beneficiorum obliuione & ingratitudine.

Populorũ in Molucis merces.

Populi iſti barbari ſunt, perfidi item & ambitioſi omnisq; iugi impatientes, obducto nempe ad omne ſcelus aſſiduis bellis collo. Propenſi ſunt inprimis ad res nouas præſentisq; ſtatus mutationẽ ſubinde expetentes. Reges eorum plurimas olim inſulas ſub tyrannidem ſuã violenter redegerũt, & abſq; ullis legibus gubernarunt, accommodante ſe ad Regis morẽ volũtatemq; populo, verum hac iam tempeſtate propter impotentem dominandi libidinem in contemptũ ferè venerunt. Solebant grauibus tributis & exactionib. intolerabilibus ſubditos onerare, nulla certa regula modoq; obſervato, quod ipſum adhuc hodie nonnulli Ternatenſiũ Magiſtratus imitantes, turbas interdum nõ exiguas excitant, conquerentibus ea de re Maguinis & aliis qui ſub tutelam Hollandorum conceſſerunt. Turbis iſtis componendis omnẽ ſępenumero diligentiam, fruſtra tamen adhibuerunt. Inde autem quid aliquando futurũ ſuſpicari facile eſt. Nihil enim procliuius, quã naſci in animis hominũ, adeo ad res nouas ꝓpendentium

dentium odium magiſtri, maximè ſi ab alio quæ grata ipſis ſint, præſtentur, quemadmodum etiam factum iam Iohannis de Sylua temporibus fuit, qui liberalitate quadam & munificentia animos eorum ad Hiſpanorum amicitiam facile inclinauit.

Hiſpani q̃ loca in Moluccis poſſideant.

In Ternatenſi inſula poſſident Hiſpani ipſã Metropolim, q̃ vi armata incolis extorſerunt, & hoc tēpore *Nueſtra Signora del roſario* appellãt. Ciuitas munita admodum & valida eſt, forti præſidio, omniq; apparatu bellico apprimè inſtructa, quem è *Manilibus* conuehunt. Sunt ibi hoc tēpore in p̄ſidio ducenti Hiſpani, & nonaginta *Papanges*, qui ſunt Philippinarum incolæ. Habitant illi præterea octoginta Chinenſes, qui variis opificiis exercendis victum quæritant, itemq; triginta patresfamilias Luſitani & ſexaginta Chriſtiani, qui ex *Molucis* cum vxorib & liberis eo conceſſerunt. Inter *Malciam* & hanc Metropolim occupant præterea Munitionem dictã *San Pedro & Paulo*, fortem admodum & benè inſtructam inq; colle ſitam. Habetq; viginti ſex Hiſpanorum, viginti Papangum, & Manilenſium aliquot præſidium.

Munitiões Hiſpanorũ in inſula Tidorenſi

In inſula Tidorenſi q̃ integram poſſident, tres quoq; habent munitiones, unam in Metropoli, ubi Rex reſidet, itidem in colle ſitam. q̃ *Taroula* appellatur. Eam quinquaginta ordinariè Hiſpani, decem Papanges & octo incolæ cuſtodiunt cũ quinq; ingentib. æneis tormẽtis. Altera eſt Luſitanica arx vetus, q̃ Cornelius Sebaſtiani occupauit. Eam nunc iterũ extruxerunt Hiſpani, & tredecim Hiſpanis militibus p̄ter incolas cuſtoditur, duobus tormẽtis armata. Tertia appellatur *Marico*, haud longius diſtans à *Nueſtra Signora*, q̃ vt cõſpici poſſit. Eſtq; oppidũ frequentibus Tidorenſibus habitatũ, & muro circumdatum, quatuordecim Caſtilianorũ impoſito præſidio, itemq; Papangibus aliquot & duobus tormentis inſtructum.

Sunt in inſula iſta alia præterea oppidula, in q̄bus incolæ habitant ſed pauci, ita vt vix mille armatos exhibere poſſint. Habet etiam Rex in continente alios præterea ſubditos, à quibus oryza & alia neceſſaria ſubminiſtrantur.

Munitiões quas Hiſpani in continẽte Molucarũ habent.

In continente *Gilolo* diuerſas habent munitiones. Præcipua eſt *Sabongo* q̃ Iohannes de Sylua Anno 1611. Hollandis eripuit, idq; contra pactas inducias, quas Hollandi ſeruaturos ſe ꝓmiſerant. Locum iſtum munierunt quatuor excitatis ꝓpugnaculis & vallis, itemq; dimidia luna fluvio obiecta. Præſidium eſt ſexaginta Caſtilianorum & quadraginta Papangum. Incolæ eius loci deſertis Hiſpanis ad Hollandos qui in *Gamconorre* ſunt, tranſierunt. Secunda munitio eſt *Pilolo*, q̃ idem Iohannes de Sylua callide Hollandis abſtulit, adhibito nempe inuenti Regis Ternatenſis auxilio. Locum iſtum ſexaginta Hiſpani cum Manilenſibus quibuſdã cuſtodiunt, omnibus rebus bellicis apprimè inſtructum.

Loca iſta ſita ſunt ſeptimo à *Malaca* lapide, ad occidentalem *Gilolæ* inſulæ plagã. Tertia munitio ſita quoq; eſt ad plagã occidentalem *Gilolæ*, è regione *Macian*, & dicitur *Aquilamo*, fluctibus maris circũdata, iacet ad fluuium, multiſq; incolis habitatur. Ab Hiſpanis quibuſdam & quadraginta Tidorenſibus cuſtoditur, qui à Rege ſuo ſtipendia accipiunt. Propugnaculum habet duobus tormentis armatũ. Ad Orã Morenſem, q̃ eſt ad orientalem *Gilolæ* plagam, tria quoq; poſſident Munimenta, *Iolo*, *Iſiau* & *Iafforgo*, quæ quadraginta quinq; Hiſpanis, aliisque incolis, maxima parte nouitiis cuſtodiũtur. Hinc ingentem Oryzæ, Sagu & aliarũ rerũ copiã accipiunt. Vnã ferè triremẽ & biremẽ habent in mari, Laros itẽ aliquot q̃ remigio impelluntur impoſitis mancipiis & captivis, præter milites & ſocios plurimis. Armis bellicoq; apparatu ferè ſemper inſtructi ſunt, è Manilibus ea conuehentes.

Cõmercia in Molucis qui exercẽant.

Annonæ non raro laborant inopia, itaq; ſubinde famuli, & è vili plebecula homines, itẽq; milites nonnunq̃ fuga ſeſe inde ſubducunt. Quod ad cõmercia attinet, ea cuiuis p̄miſſa ſunt. Caryophillorum media pars Regi cedit, quorũ cõmercia à Luſitanis exercentur. Præeſt locis iſtis hoc tempore *Hieronymus de Sylua*, qui factis in Belgio induciis ad loca iſta ꝓfectus fuit. Gubernatori adſunt Satelles maior vnus, Centuriones aliq̄, Aerarii duo, unusq; Mercator Regius, quos ꝓut viſũ fuerit, Gubernator in conſilium vocat. Habet p̄terea *Acoldos*, *Varachelos* & alios, ꝓ more & conſuetudine Hiſpanorum. Qui modo præeſt Hieronymus de Sylua vir eſt Belgicarum rerum bellique admodum expertus, diſſimulator item & callidus, vt ex reſponſis Hollandis aliquoties datis animadvertere licuit.

Iohannes de Sylues claſſis Hiſpanicæ Præfectus moritur.

Sed ad cœptam hiſtoriam vt revertamur, die 25. Aug. Admiralius in *Iaparre* venit, & claſſi vniuerſæ de Oryza alioq; cõmeatu proſpexit. Die 15 Septembr porro ad *Iacatram* venientes, ſubſtiterunt & naues ibi repararunt, nõ tamen abſq; ſollicitudine & metu ſupueniẽtis claſſis *Iohannis de Sylues*, q̃ *Malaca Bantamum* atq; inde *Iacatram* ad nos oppugnandos venturã eſſe cõſtabat. Vltima autẽ Sept. certus ad eos nuncius afferebatur, de ſubita morte *Iohannis de Sylues* q̃ *Malacæ* obierat, non ſine veneni ſuſpicione. Eo defuncto, claſſis iſta annona & militibus diminuta ad *Manilles* reuerſa eſt. In claſſis iſtius apparatu anni quatuor conſumpti fuerant, ingenti cũ Hiſpanorum iactura & dedecore.

Quieſcen-

Multæ ad claſſē Hollandicam naues adueniunt.

Quieſcentib. ipſis in *Iacatra*, variæ ex *Molucis*, *Banda* aliisq; locis naues appulerūt, aromata varia vehentes ad eximiū Societatis emolumentū. Aduenerunt quoq; eo diuerſis temporib. naues quædam ex patria, commeatu, viriſque & ingenti Hiſpanicorum Regalium copia inſtructæ. Alia item ex *Iapone*, Hiſpanicis quoq; Regalibus & infecto argento, ære, ferro aliisq; rebus onerata appulit, quæ maximam mercium iſtarum partem ex direpta Luſitanica quadam naui *Marocum* tendente, acceperat. Inter dictas iſtas naues erat Hornenſis una *VVeſtfriſia* nomine, in qua ſeditionem viginti octo ſocii moliti fuerant, id agentes vt nauem ſuæ poteſtatis facerent, & cum ea diſcederent, verum conſpiratione detecta, Auctor eius Bantami ſupplicio affectus, & in quatuor partes diſſectus fuit, Sociorum nonnulli abſciſſis prius digitis ſuſpenſi, reliqui vero ad triremes aliasq; ſeruitutes damnati fuerunt.

Nauis Iacobi Le Maire ad eos venit.

Menſe Octobri *Iacatram* aduenit nauis *Concordia* dicta, quæ ſub *Iacobi le Maire* moderatione ex Belgio 25. Iunii Anno 1615 ſoluerat. Nauis ea non pertinebat ad ſocietatem, eratque ſine mandato eius ex Belgio profecta, itaq; præſes *Iohannes Petrus Cœnen*, reliquæ eam claſſi, in generalis ſocietatis emolumentum, adiunxit, viris qui in ea erant, in naues alias diſtributis. Nihil autem profectione tam longa dignum effecerat. Dicebant quidem breuiorem ſeſe ordinario curſum inueniſſe, ſed id veriſimile non erat, quia in itinere donec *Ternatam* veniſſent, quindecim menſes conſumpſerant, idq; ſecundo vento atq; una duntaxat naui, quæ non opus habebat vt alias expectaret, quod in integris claſſibus aliàs vſu venire ſolet. Eo magis igitur mirabantur claſſem hanc tanto ante ipſos tempore *Ternatam* veniſſe, cum tamen tā magnis nauibus difficilimus per Magellanicum fretum tranſitus eſſet, & duobus non minus p̄liis, quam variorum locorum viſitatione plurimi temporis diſpendium feciſſent.

Nauis quædam ex mari rubro adueniens

Venit autem 10 Nouem. ad ſtationem Bantenſem, nauis quædam Naſſouia dicta, quæ ſub imperio Petri Bronii in mari rubro ad *Mocam* vrbem, commercia exercuerat, & apprimè ſibi de Hiſpanicis Regalibus & Ducatis Turcicis proſpexerat. Menſe Decembri eodem etiam Stephanus Docſenus, qui cum duabus nauibus Amſterodamo nempe & Middelburgo per fretum Malacenſe vectus fuerat, aduenit.

Deſcriptio Munitionum & apparatus bellici in India. Munitiões Ternatenſes.

Cum Munitiones quæ ſub imperio potentiſſimorum Ordinum generalium, vnitarū Belgii Prouinciarum, & excellentiæ ſuæ Mauritii à Naſſau, Principis Auraici in Indiis habentur, Admiralius à Spilbergē viſitaſſet, inuenit eas ſequenti modo comparatas. Quod ad *Molucas* attinet, in inſula Ternatenſi, *Maleiæ* nimirum erant Centuriones quinq;, quorum cohortes ſingulæ nonaginta vel circiter armatis conſtabant. Eſt autem Ciuitas muris circumdata, & munitionibus, militibus, armis, omnibusq; quæ ad firmandam vrbem aliquam requiri poſſunt ſufficienter inſtructa. In hac vero & aliis circumiacentibus inſulis plures adhuc aliæ munitiones & arces reperiuntur, nempe *Tabucquo*, non procul diſtans à *Maleia*, quā ciues ipſi cuſtodiunt. Itē *Tacome* & *Tabori* in inſula *Gilolo*, quæ à Ternatenſibus præſidiis cuſtodiūtur.

Munitiões in inſula Tidore & locis aliis.

In Tidorenſi inſula munitio eſt *Marieco* nomine, quæ robore & viribus nulli cedit, eam tuetur Capitaneus VVilhelmus Amſingus. In inſula *Mathir* validiſſima quoq; viſitur Munitio lapideis muris cincta. Præfectum habet Henricum Maierum. Inſula *Macian* ſubeſt Vice-Gubernatori Giſberto Vianen, habetq; tres munitiones rebus omnibus & præſidio ſatis firmo inſtructas, nempe *Taſaſor*, *Tabolde* & *Noffaca*, quarum ultima iuxta portum ſita eſt. Inſulæ *Bacian* imperat Gubernator Bartholomæus à Spilbergen. Habet munitionem *Barneueld* appellatam lapidibus ſtructam, & militibus Hollandis Sinenſibus aliquot munitam.

Munitiões in Amboina inſula.

In *Amboina* inſula Regiam habent arcem firmiſſimis munitionibus munitam. Præeſt ei Henricus Steur cum centum & quinquaginta militibus. Habent autē & alias arces nempe *Conbellam*, *Hitton*, & *Lovvu*, quarum poſtrema à Ternatenſibus cuſtoditur.

Munitiões Hollandorum in InſulaBanda.

In *Banda* inſula duas Munitiones poſſident, unam *Naſſouiam* dictam, quæ centum & viginti Hollandorum habet præſidium, excepto ingenti Iaponum, Chinenſium, & aliorū numero. Altera vocatur *Belgium* pari cum priori præſidio inſtructa. Vtriq; autem præeſt Centurio Henricus Biberlingus. In inſula *Polovvay* habent munitionem *Reuingo* appellatam centū & ſexaginta militum præſidio ſub Præfecti & Centurionis imperio munitam.

Munitiões in Coromandel.

Ad limites Coromandelios in *Palatoque*, extructa eſt ab Hollandis arx magnifica & valida, centum & viginti militum præſidio munita. Fauent Hollandis duæ ciuitates *Negapata* & *Moſſepata*, liberumq; ipſis prębent commercium, quam ob cauſam bellica aliquot tormenta cum omni apparatu ab ipſis acceperunt.

Munitiões in Iava Maiore.

In inſula *Iava maiore*, nempe in *Iacatrá*, diei unius itinere à *Bantamo*, ſitum eſt ingens, amplum & magnificum ædificium in quo varii opifices commorantur. Seruantur in loco iſto omnes bellici apparatus & quicquid ad inſtruendas naues requiritur. Subeſt Bantenſibus & valido præſidio cum aliquot tormentis æneis cuſtoditur.

Hæc

Hæc igitur breuis eſt Munitionum & locorum quæ in *Molucis* quidem inſulis Hollandi tenent deſcriptio. Sunt autem omnia iſta loca militibus & tormentis æneis, ferreis, lapideisq; inſtructa & munita. Numeranturq; milites ter mille: tormenta ænea centum & nonaginta tria; Ferrea trecenta & decem; lapidea trecenta.

Sunt & loca alia in inſulis iſtis, quæ poſſeſſa deſeruerunt. Sic enim in Inſula *Gilolo* poſſederunt munitionem *Gemmelanor* dictam. Eam ideo deſeruerunt, quia ab ea parte nihil ab hoſte metuendum videbatur. Deſerta quoq; fuit ab ipſis in Inſula *Bouton* inter *Molucas* & *Iuvam*, fortis munitio, propterea quod inutilis iudicabatur. Deſeruerunt præterea munitionem in inſula *Solor* & *Timor*, ſed eò nuper duæ naues, *Aquila* nempe & *Stella* miſſæ fuerunt, ad fœdus cum incolis renovandum. In urbe *Greſei* quæ ſita eſt in Inſula *Iaua*, ærarium quoque conſultò derelictum. Similiter & in *Aſchienſi* Metropoli, ærarium derelictum fuit, propter Regis auerſum ab ipſis & iratum animum. Miſſæ tamen duæ rurſum naues, quæ Regem reconciliare conentur. In inſula *Selibes* ab imperitis iuuenibus deſertus fuit locus *Macaſſar* dictus, non habita ratione inſignis emolumenti, quod ex *Oryza* & *Sagu* ibi percipiebant. Ad amicitiam tamen inſtaurandam nuper adlaborari cæptum eſt. Loca quæ dã ab Hollandis deſerta.

Inter omnes Barbaros nemo Hollandis magis addictus eſt quam Rex *Ioorenſis*. Nullam tamen in eius Regno munitionem habent, quam ob cauſam etiam multa patitur ab hoſtibus, quibus reſiſti facilè poſſet, ſi firma ſedes in Regno iſto Hollandis tribueretur. Miſerunt nuper naues nonnullas ad *Ficas*, *Puamam* & *Silbe*, loca ad occidentalem *Sumatræ* plagam ſita, vt piperis ibi commercium inſtituerent. Rex Iorenſis Hollandis favet.

In una Inſularum dictæ *Sumatræ*, in urbe *Iambi*, apud Malacenſe fretum, longè utiliſſimam præ reliquis omnibus negotiationis ſedem habent, cui Andreas Surius Mercator præeſt, piperis commercium exercens. In Regno *Borneo* liberum ipſis adamantum lapidisq; *Bezoar* commercium conceditur. In ampliſſimo famoſoq; *Iaponiæ* Regno magnificum ædificium excitatum à Mercatore *Iacobo Spexio*, ſub quo Hollandi ibi negotiantur. In ditione *Firandenſi*, quæ in eodem quidem Regno ſita eſt, vix ullũ ante hæc tempora commerciũ fuit, iam vero adeo floret, vt artes & opificia, nõ ſecus atq; in *China* ad perfectionẽ ſuã aſcenderit. Commercia in Sumatra.

In Inſula *Iava Maiore* Rex eſt, qui Magnus *Macarans* appellatur. Sub eo plurima domicilia habent, & omnis generis commercia inſtituunt. Præcipuũ eſt in *Iapara*, annona inprimis, vtpote oryza, bobus, ouibus, capris, fabis, piſis, arefacto piſce, & aliis id genus abundans, unde *Molucci* & *Bandenſes* Hollandi commeatum ferè accipiunt. Ad firmandam cum magno *Macarans* amicitiam miſſus nuper Generalis Societatis Pręfectus fuit, qui animũ eius oblatis muneribus deliniret. In dicta inſula *Iaua*, ſita eſt celebris illa civitas *Bantam*, quæ à *Pangoram* (cui Rex ipſemet ſubiectus eſt) gubernatur. Primaria autem negatiationis in India ſedes ſub dicti iſtius *Pangoram* gubernatione & imperio reperitur. In ciuitatis iſtius portu naues uniuerſæ onerantur, mandataq; ſua accipiunt à *Iohanne Petro Cœnen* Hornenſi, Indiarum Præſide generali, qui hoc loco omnes totius Indiæ rationes & ſcripta in librum confert, vnde etiam omnis Indiarum rerum ſtatus ibi ſemper cognoſci poteſt. Magnus Macarans Rex in Iaua maiore

Naues Hollandicæ diuerſis locis hoc tempore in India repertæ fuerunt vltra triginta. Nam in *Molucis*, nempe in inſula *Ternate* & ante oppidum *Malian*, naues erant nouem. Vetus Sol, Vetus Luna, Nouus Sol, Noua Luna, Vliſſinga, Angelus Delphenſis, Spes, Lucifer Amſterodamenſis & Larus ad *Amboinam* tendens. In *Iacatra* erat Hollandia aliàs *Brandaris* dicta quæ Oryza ad *Molucas* conuehenda onerabatur. Ante *Bantamum* erant naues quinq;, Fides, Naſſovia, Horna, Larus & niger Leo. In *Timor* & *Solor* erant Aquila & Stella. In *Aſchien* erant Falco & Venatio. Ad limites *Coromãdelios* & *Negapatan* erãt, Neptunus, Leo aureus. Ad *Iambi* erant Lẽbus, Bargenſis, & Seni Luna. Ad Inſulã *Ingame* & ad limites *Sumatræ* erant Concordia & parua Hollandia miſſæ nimirum ad excipiendos eos, qui ex Aeolo ſalutem quæſierant, cum nempe proficiſcentes è *Coromandeliis* limitibus, naufragium paſſi eſſent. In ſtatione *Iacatrenſi* erat Friſia Enchuſana. Rurſus in *Bantam*, Nova Friſia Hornenſis, inſigne Amſterodamicum & Middelburgum Selandicum. E limitibus *Coromandeliis* expectabatur quotidie Tergoſia. In patriam proficiſcebatur Niger vrſus. Reditum item in patriam parabant Amſterodamam & Nova Selandia. Ex patria vero expectabantur Concordia Amſterodamenſis & Aeolus Selandicus. In *Banda* habent adhæc duas biremes, & præter has naues omnes habent adhæc in *Iacatra* & *Bantamo* lembos atq; Liburnicas ad triginta ſeptem (pluribus nauibus minoribus exceptis,) & hæ quidem naues omnes tormentis, militibus & apparatu neceſſario militari ſatis ſunt inſtructæ. Numerus navium Belgiarum quę in India repertę

Hic

Admirali' à Spilbergen in patriã reditum parat.

Hic igitur eſt iam ſtatus Hollandorum in India, Admiralius autem à Spilbergen cum omnia perluſtraſſet, ſocios confirmaſſet, atque ita officio ſuo perfunctus probe fuiſſet, de reditu in patriam cogitauit, inſtructiſque & oneratis duabus nauibus, Amſtelodamo ſcilicet, quæ ſeptingentorum, & Selandia quæ ſexcentorum onerũ capaces erant, itineri ſeſe circa finem Decemb. commiſit. Die 24. Ianuarij Anno 1617. ad inſulam *Mauritium* peruenientes qui evertũt, & de recenti aqua alioq; neceſſario commeatu ſibi proſpexerunt. Soluentes deinde è portu, qui ſtatio Molucenſis dicitur, 1. Februarij inſulam *Maſſariam* tranſierunt.

Anno 1617.

Admirali' à Spilbergen domũ reuertitur.

Nihil in reditu quod eos vel impediret vel offenderet accidit, cum igitur 11. Martij promontorium bonę ſpei ſuperaſſent, & vltimo eius Menſis die ad San-Helenæ inſulam perueniſſent, Selandiam nauem ſuam, quæ tribus ante menſibus ab Admiralii naue aberrauerat, ſaluam ibi in ſtatione ab anchoris hærentem inuenerunt. Commeatu igitur nouo inſtructi, 7. Aprilis iter rurſus ingreſſi ſunt, ſuperataque 24. eius menſis Aequinoctiali linea, inſulas ſalſas 13. Maij præteruecti ſunt, & tandem Calendis Iulij, in patriam cum duabus iſtis, quæ multis precioſiſſimis mercibus oneratæ erant, nauibus, per Dei gratiam ſalui & incolumes reuerſi ſunt.

Iacobus Mari' moritur.

Cum Admiralio iſto domum quoque peruenit *Guilhelmus à Schouten*, qui vna cum *Iacobo Mario* nouum per mare Auſtrale tranſitum aperuerat, quemadmodum hiſtoria eius ſupra deſumpta eſt. Iacobus vero Marius, domum itidem cum Spilbergio reuerſurus, cum vix itineri ſeſe dediſſent, ſummo cũ Admiralii, itemque Guilhelmi à Schouten & aliorum, de viri egregij & nauigationum peritiſſimi amiſſione dolentium, mœrore atque triſtitia, fatis conceſſit.

SEQVVNTVR
VERÆ VIVÆQVE INCOGNITARVM HACTENVS REGIONVM, INSVLARVM ET GENTIVM, PRÆLIORVM ITEM NOCTE DIEQVE, TERRA ET MARI COMMISSORVM NEC non aliarum quæ Georgio à Spilbergen occurrere rerum delineationes atq; imagines, nunquam antea viſæ:

ADDITIS IN NOVARVM RERVM CVPIDI LECTORIS GRATIAM, luculentis earum deſcriptionibus, in eos accurate inciſæ atq; ob oculos poſitæ,

Studio & opera

M. GOTHARDI ARTHVSII Dantiſcani.

FRANCOFVRTI,
Typis IOANNIS HOFERI, Sumptibus IOANNIS-THEODORI de BRY.
ANNO
M. DC. XX.

RPJCB

APPENDIX XI. PARTIS AMERICÆ.

I.

DELINEATIO CAPITIS SAN-VINCENTII IN BRASILIA.



Exhibetur hic delineatio Capitis San-Vincentii in Braſilia, vbi naues ſeſe recrearunt. A. Sunt ſex liburnicæ, quibus habitantes ibi homines compellant. B. Sunt milites ad cuſtodiam deſtinati. C. Eſt Templum San-Maria de Negue cum ædibus, quæ igne accenſæ & combuſtæ ſunt. D. Eſt nauis excubias agens. E. Sunt armati Luſitani & Barbari, ſtantes in littore. F. Eſt Ciuitas San-Vincentii. G. Eſt Ciuitas Sanctus. H. Eſt arx ad fluuium ſita. I. Sunt quatuor Hollandorum Liburnicæ. K. Eſt nauis in excubiis conſtituta. L. Sunt alii Luſitani & Barbari. M. Eſt Luſitanica nauicula, ab Hollandis intercepta. N. Eſt velitatio in qua quatuor occubuerunt. O. Eſt ipſa claſſis Hollandorum. P. Eſt Luſitanica nauicula combuſta. Q. Braſilianorum habitus. R. Denotat dormientes in reti ad duas arbores appenſo.


Tijpus Freti
MAGELLANICI
quod Georgius Spilbergius
cum claſse luſtrauit.
TERRA
DEL
FRETUM
AMERIC
C Froward
B-Ernestus
Moſſel Bay
Piloots Bay
Peper Bay
Rio Henrico
Porte Famine
Weygat
Bos Bay
Somer Bay
Groote wal
Patagones
C Naſſau
Tierra de foge
C Orange
Die Erſte Enge
C De Capitaine
B-Viane
C Virgine
A
B
C
H
K

RPJCB

II.

DELINEATIO FRETI MAGELLANICI.



EXhibet hæc figura delineationem freti Magellanici, quemadmodum à Georgio Spilbergen in hac nauigatione exploratum fuit. Litera A. eſt vna nauium, quam perfidi Nautæ abduxerunt. B. Sunt reliquæ naues quinque ſecundo curſu fretum ingredientes. C. Eſt homo in littore aliquoties apparens. D. Barbari clauis ſuis Hollandos trucidantes. E. Barbari in littore Hollandos peregrina lingua alloquentes. F. Vinum Hiſpanum Barbaris exhibitum, quod placere ſibi ſignis oſtenderunt. G. Rubræ baccæ boni ſaporis, quæ abundanter eo in loco proueniunt. H. Eſt Pinguinus, quorum ibi ingens multitudo. I. Hollandi ſclopis ſuis aues petentes. K. Nauicularum figura & modus.

RPJCB

III.

DELINEATIO INSVLÆ LAN-NOCHA.



IN inſula Lamocha Litera A. ſunt lembi,quibus ad littus appulerunt. B. Commercia quæ Hollandi cum Barbaris exercuerunt,ermutando ſcilicet ſecures & cultros cum ovibus, gallinis & fructibus. C. Ratio ſedendi ipſis vſitata, vno crure alteri ſuperpoſito ad ſartorum conſuetudinem. D. Tubicines & Muſici Hollandorum in littore concinentes. E. Mochiani cum delectatione auſcultantes. F. Tuguria ipſorum à quorum ingreſſu Hollandos arcent. G. Oves & alia ad permutandum allata. H. Navis Hollandorum ſub littore excubans. I. Quatuor naves Hollandicæ,ad quas lembi vltro citroq; commeant. K. Veſtitus ipſorum. L. Gibboſæ ipſorum oves ad inſtar Camelorum.

RPJCB

IV.


DELINEATIO INSVLÆ SAN-MARIÆ.



INſula hæc prærupta eſt, & acuta rupibus. Litera A. Eſt continens Chili, dicta Cabo de la Vapii. B. Sunt equites Hiſpani in littore ſeſe oſtentantes. C. Sunt milites & nautæ Hollandici, ad pugnam diſpoſiti. D. Eſt oppidulum San-Maria, quod igne deletum fuit. E. Sunt velitationes aliquæ cum Hiſpanis habitæ, in quibus nonnulli occubuerunt. F. Locus eſt ad quem Hollandi appulerunt, & vbi acceptis ouibus, reliquoque commeatu, iterum receſſerunt. G. Lembi Hollandorum, vltro citroque commeantes, & annonam afferentes. H. Nauis Hollandica ad littus excubans. I. Reliquam Hollandorum claſſem denotat,

V.

DELINEATIO INSVLÆ CONCEPTIONIS.



IN inſula Conceptionis præter Indos plurimos etiam Hiſpani ducenti & amplius habitant. Litera A. eſt ipſa inſula Conceptionis eleuationem 36. graduum & 40. ſcrupulorum habens. B. Eſt inſula Quiriqueina, in qua tuguriola aliqua fuerunt incenſa. C. Eſt oppidulum Conceptionis, vbi Hiſpani habitant. D. Claſſis Hollandorum. E. Syluestres equi, quorum magna ibi copia reperitur. F. Barbarorum iſtorum habitus & veſtitus.

RPJCB

VI.

VALPARISA SIVE PORTVS VRBIS SAN-IACOBI.



VAlpariſa portus eſt Vrbis San-Iacobi, fidam admodum ſtationem nauibus præbens. Litera A. eſt ipſe portus Valpariſa. B. Sunt milites Hollandi in acie ad pugnam faciendam conſtituti. C. Eſt Hiſpanica nauis inter rupes ardens. D. Claſſis Hollandorum, quæ in Hiſpanos tormenta ſua ſubinde exonerabat. E. Variæ turmæ haſtatorum equitum Hiſpanicorum. F. Sclopetarii Hollandorum cum Hiſpanis velitantes. G. Caſæ aliquot ardentes, H. Locus ad quem lembi Hollandorum commearunt. I. Forma & habitus incolatum.

RPJCB

VII.

DELINEATIO PORTVS QVINTERO.



QVintero portus eſt amœnitate & dulcibus aquis nulli ſecundus. Litera A. eſt ipſe portus, 8. graduum eleuationem habens. B. Eſt Creuecuer, ſiue ſemiluna ad defenſionem aquantium excitata. C. Eſt claſſis Hollandorum in anchoris ſita. D. Sunt milites Hollandorum; Hiſpanos ad pugnam prouocantes. E. Sunt Hiſpani equites; Hollandos quotidie infeſtantes. F. Milites Hollandorum in plaga occidentali conſtituti & ſecuritatem aquatoribus præſtantes. G. Sunt lembi Hollandorum vltro citroque commeantes. H. Sunt equi ſylueſtres. I. Habitus ſiue veſtitus incolarum.

VIII. Præ-

RPJCB

VIII.

PRÆLIVM NOCTVRNVM CVM HISPANIS HABITVM.



CVm potentiſſima claſſe Hiſpanica cui Rodericus Mendoza præfuit, duo ſunt commiſſa prælia, primum fuit nocturnum, quod circiter horam decimam inchoatum, per totam noctem durauit. Litera A. Eſt Hiſpanicus Admiralius. B. Eſt Admiralius à Spilbergen cum eo confligens. C. Eſt Hiſpanicus Vice-Admiralius. D. Nocturnum Hiſpanorum munimentum. E. Hiſpanica nauis alia. F. Vice-Admiralius Hollandorum, nomine Aulicus. G. Eſt Lucifer Hollandorum nauis. H. Æolus Hollandorum nauis, quam Malacia ne ad claſſem pertingeret, nocte ea impediuit. I Hiſpanica nauis cum Vice-Admiralio Hollandorum confligens. K. Duæ Hiſpanicæ naues ſubinde tormenta exonerantes. L. Venator, Hiſpanicam nauem demergens. M. Nauis Hiſpanica tormentis concuſſa, ſubſidens.

IX.Præ-

RPJCB

IX.

PRÆLIVM DIVRNVM CVM HISPANIS HABITVM.




PRælium alterum fuit diurnum, magna contentione cum claſſe Regia habitum, quo in fugam verſa & magna parte demerſa fuit. Litera A oſtendit qua ratione Noua Luna quam malacia inter duas Hiſpanicas naues compulerat, ſe defenderit. B. Sunt duæ Hiſpanicæ naues Lunam oppugnantes. C. Duo lembi Lunæ in auxilium tendentes. D. Lucifer nauis Hollandica, quam propter Malaciam duo lembi trahunt. E. Eſt Admiralius à Spilbergen. F. Eſt Hiſpanicus Admiralius tormentis perfoſſus. G. Duæ naues Hollandicæ Hiſpanum inſequentes. H. Nauis Hiſpanica ignibus excitatis cum multo hominum eiulatu ſubſidens. I. Alia Hiſpanica nauis demerſa. K. Reliquiæ claſſis Hiſpanicæ in fugam verſæ. L. Alia nauis Hiſpanica inter fugiendum ſubmerſa.

RPJCB

X.

DELINEATIO PORTVS CALIOV DE LIMA.



CAlioú de Lima eſt portus planè egregius, vbi naues Hollandorum per dies aliquot quieuerunt. Litera A. denotat tormentorum in littore exploſio-
nem. B. Eſt elegans in oppidulo ædificium. C. Eſt templum oppidi. D. Sunt
duæ equitum haſtatorum turmæ. E. Duæ peditum legiones ab vtroque la-
tere tormentorum. F. Duæ Hiſpanorum equitum peditumq́ue cohortes.
G. Hiſpani in altera fluminis ripa apparentes. H. Sunt plurimæ Hiſpanorum
naues ſitæ in anchoris. I. Admiralius Hollandorum Georgius Spilbergen.
K. Venator Hollandorum ad alias naues ultro citroq; commeans. L.
Æolus nauis æneo globo traiecta. M. Lucifer nauis.
N. Noua Luna nauis.

RPJCB

XI.

DELINEATIO STATIONIS GVARMENSIS.



GVarme ſtatio nauium ſatis commoda eſt, vbi naues ſummo labore, portatis per littus vaſis, recentem aquam acceperunt. Litera A. eſt diruta arx ab Hollandis occupata. B. Hollandi aquatores. C. Venator nauis ad littus iacens. D. Captiua nauis Hiſpanica. E. Claſſis Hollandica, ad quam naues commeant. F. Milites Hollandi commeatum inquirentes. G. Pagus Guarmenſis, ad quem Hollandi commeatum petentes acceſſerunt. H. Sunt equites Hiſpani in fugam verſi. I. Eſt piſcatio in aqua dulci facta.

XII. Peyta

RPJCB

XII.

PEYTA OPPIDVM AB HOLLANDIS EXPVGNATVM.



PEyta oppidum Hiſpanorum ab Hollandis obſeſſum & expugnatum hic ante oculos proponitur. Litera A. denotat exercitum Hollandorum in terram expoſitum, & ad oppidum proficiſcentem. B. Hiſpani fugientes, & cum Hollandis præliantes. C. Sunt Æolus, Stella & Venator, naues Hollandorum tres, oppidum quatientes. D. Eſt Barbarorum piſcatoria nauis, Balſem dicta, miræ celeritatis. F. Eſt exigua nauis piſcatoria abſque velo. F. Sunt Sol & Luna Hollandorum naues jacentes in anchoris. G. Nauicula Hiſpanica captiua. H. Eſt auis duarum vlnarum altitudine, & trium latitudine, capta in inſula de Loubes apud Peytam.

RPJCB

XIII.

DELINEATIO CIVITATIS ET PORTVS AQVAPOLQVE.




AQuapolque civitas & portus percõmodus eſt, vbi captivi Hiſpani ab Hollandis, exhibito lytro dimiſſi fuerunt. Litera A. Eſt claſſis Hollandorum quinq; navibus conſtans, & vna navicula Hiſpanica, quæ extra portum in excubiis conſtituta eſt. B. Primus cum Hiſpanis congreſſus, protenſo vtrinq; vexillo albo. C. Lembi Hollandorum cum captivis Hiſpanis qui in libertatē adſeruntur. D. Sunt aſini quibus commeatū pro claſſe Hiſpani comportarūt E. Sunt oves & boues qui ad claſſem adducuntur. F. Arx Hiſpanica præſidio & tormentis munita. G. Templum ſeu Monaſterium eorum. H. Oppidum Aquapolque. I. Eſt cochlea ad littus capta. K. Sunt equites nonnulli, quos Hollandi conſpexerunt cum annona quæ advehebatur, proficiſcentes.

RPJCE

XIIII.

DELINEATIO PORTVS SAN-IAGO, SELAGVES ET NATIVIDA.



TRes hic portus exhibentur, San-Iacobi, Selagues & Nativida, addita ſimul pugna cum Hiſpanis habita. Litera A. Eſt portus San-Iacobi, in quo claſſis Hollandorum ſtetit. B. Eſt Hiſpanica navicula excubans. C. Eſt portus Selagues vbi jacebat Venator, itemq; locus in quo Hiſpani Hollandos adorti ſunt. D. Hiſpani ex ſylua proſiliētes. E. Hollandi ab alia parte occurrentes. F. Interfectorum Cadavera. G. Socii Hollandorum lembos cuſtodientes. H. Port' Nativida, paulo vlterius diſtans. I. Recens & amœnum flumen. K. Peregrini piſces quales ibi capiuntur.

XV.

RPJCB

XV.

DELINEATIO INSVLARVM DE LAS VELAS SEV LADRONES.



Inſulæ Ladrones primum inventæ ſunt à Magellano Anno 1519. qui eas Velas primum propter nauium velatarum quæ ibi reperiuntur multitudinẽ, poſtea vero Ladrones, ob furandi quæ hominibus iſtis ineſt libidinem appellauit. Litera A. Eſt admiral. Hollandorum ſiue ſol. B. Eſt Viceadmiral. ſiue Luna. C. Eſt Lucifer. D. Eſt Æolus. E. Eſt Venator: omnes naues Hollandorum, quas Indi nauiculis ſuis, quaſi apum examina circumdabant. F. Captiua nauis in quam Hollandi aliqui impoſiti fuerunt. G. Sunt nauiculæ ipſorũ, quas remigiis impellunt. Quę autem prominent è lateribus eas in æquilibrio ſervant. H. Sunt naves ipſorum quibus vela faciunt. I. Barbarorum ſive ladronum habitus.

RPJCB

XVI.

PORTVS MANILENSIS ACCVRATA DESCRIPTIO.




POrtu: Manilenſis optatam navibus ſtationem præbens eleganter hic repræſentatus eſt. Litera A.Denotat ipſum portum Manilenſem. B. Sunt plurimæ in portu ipſorum naves C. Eſt Ciuitas Manilenſis frequens jncolis. D. Eſt Munitio ipſorum nomine Cabitta. E. Eſt inſula Mirabella. F. Claſſis Hollandorum ſex navibus conſtans. G. Sunt Lembi Hollandorum ad capiendos homines aliquos emiſſi. H. Sunt naves ipſorum, quas Lunas appellāt. I. Duæ naves Hollandicæ, quæ captas duas liburnicas ad claſſem adducunt. K. Eſt Lembus Hollandorum, qui Indicam liburnicam ad claſſem adducit.

RPJCB

XVII.

DELINEATIO INSVLARVM MACIAN ET BACIAN.



PRoponitur hic delineatio inſularum Macian & Bacian, cum omnibus quę
ad eas pertinēt. Litera A. Eſt inſula Macian, cuius auſtralis angulus diſtat
ab Æquinoctiali, & ſcrupulis verſus ſeptentrionem. B. Eſt portus alterius in-
ſulæ dictæ Bacian, quæ ſita eſt è regione prioris, totidem ſcrupulis ab Æqui-
noctiali verſus auſtrū diſtans, C. Eſt Civitas Bacian. D. Eſt Munitio Barne-
feldia lapidibus extructa. E. Eſt domus in qua Oryza cuſtoditur. F. Eſt Do-
mus lapidea. G. Excubiæ. H Anterius vallum lapide ſolidatum. I. Por-
ta ſeu tranſitus. K. Collapſum munimentum, quod Galla
Galla excitarat. L. Templum Indorum. M.
Suaviſſimę recentis aquę puteus.

RPJCB

XVIII.

DELINEATIO INSVLÆ SOLOR ET PORTVS EIVS.



SOlor inſula montem habet præaltum cum egregio portu, cuius hic delineationem proponimus. Litera A. Eſt portus Solor intrinſecus ea figura, quã vides. Nullum enim, qui in eo ſunt, exitus viam niſi proximè ei adſint, videre poſſunt. B. Ingreſſus in portum, ad cuius dextrum latus altiſſimus mons aſſurgit. C. Alius ingreſſus, vtroq; latere altis quidem, paulo tamen priore minoribus montibus cincto. D. Munitio Solorana calce & lapidibus exſtructa. E. Eſt incolarum habitus.

XIX.

RPJCB

XIX.

DELINEATIO INSVLÆ AMBOINÆ CVM MONTE GANAPO & Inſula Nera.




IN Amboina inſula habent Hollandi Regiam arcem, firmis munitionibus roboratam. Litera E. Oſtendit tuguria & habitati ones incolarum. F. Eſt ipſa inſula cum munitionibus & ædibus hinc inde circumdata. G. Sunt incolæ eorumq; veſtitus. H. Eſt inſula Nera in Banda cum duabus munitionibus quarum vna Naſſouia, altera vero Belgium appellatur. I. Eſt mons Ganapus, certis temporibus fumum flammamq; evomens, quibus lapides & arbores ſæpe arripit & in aërem elevat, ita vt nemo propius accedere audeat.

RPJCB

APPENDIX XI. PARTIS AMERICÆ.

XVII.

DELINEATIO PORTVS DESIRE, AD PRIOREM SCHOVTANI NAvigationem potiſſimum pertinens.



IN hac delineatione Litera A. denotat ipſum portum, quem errore ingreſſi integra noctein grauiſſimo amittendæ navis diſcrimine verſabantur. B. Sunt loca in quibus ad littus proiecti vadoq; impacti fuerũt, ita vt ſiccis pedibus ſub Laro navi incedere & ambulare poſſent. C. Eſt avium inſula, in qua plurimos pullos acceperunt. D. Eſt Inſula leonum. E. Eſt regia Inſula, poſt quam naves in anchoris jacuerunt. F. Locus in quo Larus ipſorum ſtans in rupibus flammis abſumpta fuit. G. Locus in quo recentem aqum invenerunt & vaſculis ad navem portarunt. H. Ingentium hominum ſepulchra, quorum oſſa decem & duodecim pedum longitudine deprehenſa ſunt. Capita vero tanta erant, vt interius aperta Hollandorum capitib. imponi tqãuam galeæ potuerint. I K. Leones & Leænæ marinæ, quorum nonnullos captos comederũt. L. eſt animalium genus, ceruorũ fere ſimilitudinẽ verum ea colli lõgitudine vt reliquum corpus adæquet, incredibilis celeritatis, quorum ingentem quotidie in montib. copiã viderunt. M. Struthiones quorum frequens ibi eſt numerus. N. Eſt lapidea furca ita à natura formata vt artificioſe facta videatur.

FINIS.

09118b

RPJCB

~~1596~~
~~= 3415~~
~~v. 11~~

J
De Bry
GV
pt. 11
1619
Lat

GAUDEO